

DISSEKTATIONIS PRACTICÆ
DE
CORREPTIONE FRA-
TERNA
PARS ALTERA:

In qua agitur
DE AGNITIONE, REVOCATIONE ET
EMENDATIONE Erroris aut delicti,
EXCOMMUNICATIONE IMMORIGERORUM,
Ejus jure & moderatione :
Denique de Defensione adversus immorigeros, qui corre-
ptores suos actione injuriarum pul-
fant.

PRO HAC PARTE RESPONDEBIT

in Majore Auditorio Principum,

PRÆSIDE

JOHANNE HULSEMANNO,

D. & PP.

M. GOTHOFREDUS-CHRISTIANUS

BOSE, Ecclesiastes in Templo Nicolaitano
LIPSIAE.

d. Maji horis à VII. Matutinis, Anno 1651.

L I P S I Æ,
Ex Officina Ritzschiana.

Coll. diss. A
182, 19

5:19 A. 182 (19)

COOPERATION R.A.

TEMA

PARS ALTERA

DE AGNITIONE REVOCATIONE ET

EXCOMMUNICATIONE IMPERATORUM

Derive of the name of the manuscript

prothos...



TO HIC P...

idms...

JOHANNES HILFEMANN

D. & P.

M. GOTTFRIDUS CHRISTIANUS

BOZE...

1734

...

LIPSI

Ex Officina...

1734

1734

1734

§ XVII.

De Effectu ratae Correctionis fraternalis.

Effectum principalem ratae & acceptatae correctionis fraternalis, ^{N.1} Salvator ipse appellat *lucrifactionem fratris Rei, versic. 15.* quâ ^{Effectus prin-}phrasi restitutio animæ peccatricis in pristinum statum tam justifi- ^{cipalis salu-}ficationis quàm sanctificationis exprimi solet; ut ex opposito da- ^{taris corre-}mino & perditione animæ apparet *Matthæi Cap. XVI, 26* : *Quid* ^{ptionis,} *prodest homini, si universum mundum lucretur, & damnum animæ pa-* *riatur?* In quem sensum etiam Apostolus *I. Cor. IX, 20. seqq.* *Judeis* *factus sum sicut Judæus, infirmis tanquam infirmus, ut utrosq; lucra-* *rer. I. Pet. III, 1: Mulieres subditæ sint viris suis, ut, si qui non credunt* *verbo, per mulierum conversationem lucrifiant.*

Ad testificandum de hoc effectu, & ut innotescat lucrifac- ² *Signa hujus* *effectus.* tum esse fratrem: denominat Salvator alios etiam effectus correptionis fraternalis, quasi signa & notas emendationis jam secutæ: I. *Ultroneam agnitionem erroris aut delicti.* II. *Dolorem & pœnitentiam de commissis.* III. *Confessionem.* IV. *Deprecationem & Palinodiam.* Atq; hæc Lucas quidem citra allegoriam aut parabolam apertè requisivit: *Si peccavit in Te frater Tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in Te, & septies in die conversus fuerit ad Te, dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Matthæus autem hos effectus intermedios correctionis fraternalis, partim per manifestam parænesin, partim per parabolam de gestibus & verbis tam servi debitoris, quàm etiam Remittentis & condonantis Creditoris, h. m. describit: *Dic Ecclesie, Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico Vobis, quaecunq; alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo: Et quaecunq; solveritis super terram, erunt soluta & in cælo: Iterum dico vobis: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecunq; petierint, fiet illis à Patre meo: Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,*

A s ibi

ibi sum in medio eorum. Hic de valore & effectu etiam privatae remissionis inter fratres, non solum publicae & sacerdotalis, quae per Ecclesiam fit, sermonem esse, manifestò patet ex distinctione diversorum subjectorum: nempe Ecclesiae, & duorum vel trium aliis delicta remittentium.

3 Quamobrem *Origines, Athanasius, Chrysostomus, Theophylactus*, ex Graecis: *Hilarius, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus* hanc remittendi facultatem expressis verbis extendunt etiam ad *privatos*, de quibus coepit institui quaestio, & de quorum officio continuatur quaestio, à Petro interrogante: *Quoties remittam fratri offendenti me, an septies? &c.* & de quibus Christus producit responsum: *Non dico Tibi septies, &c.* Assimilatum est enim regnum caelorum Regi conferenti rationem cum servis suis, &c. Sic enim connecti parabolam hanc cum praecepto de correptione fraterna, ut fit quasi norma & regula mansuetudinis fraternae erga corripiendos delinquentes, *Jansenius, Maldonatus, Barradas, Toletus* in *Lucam*, aliiqve ex ipsis Pontificiis Interpretes largiuntur, Et si *Salmeron & Maldonatus* negent: *Privatis, & non Sacerdotibus collatam hanc esse potestatem absolvendi fratres à privatis offensis in se commissis.* Quam tamen fatentur, à *priscis Ecclesiae Doctoribus* & dicti hujus Interpretibus hinc agnosci.

4 S. Matthaeus igitur gestu & voce servi ingenua coram Creditore procidentis, orantis, & deprecantis: nec non voce & gestu Creditoris remittentis debitori & culpam & pœnam, voluit exprimere *Agnitionem, dolorem, confessionem & deprecationem* peccati, de quo quisque corripitur, tanquam partes obligationis, ad quas tenetur debitor, inter quas est *deprecatio*: *Serve nequam, totum debitum remisi Tibi, postquam me deprecabar, E. & Te oportebat misereri conservum deprecantem v. 29. 32.* Ubi conjungitur etiam Corripiantis obligatio; nempe, ut ignoscat agnoscenti, dolenti, confitenti, & deprecanti, uti *Abulensis q. 85. Guido Carmelitanus* in *Harmonia, sive Quatuor Uno*, ad h. l. nec non *Jansenius, Toletus & Maldonatus* rectè observarunt. *Ambrosii* in *Luc. XVIII, 1.* hæc sunt: *Subjecit praeceptum (inquit) veniae largiendae, bis utiq, qui se ab errore*

con-

convertunt, ne quem desperatio non revocet à culpa. Quàm verò moderatus est ut neq; difficilis venia, nec remissa sit indulgentia. Ne quem vel auster a percellat invecio, vel conniventia invitet ad culpam.

Quamvis enim etiam non agnoscentibus, non confitentibus, non deprecantibus ignoscendum sit à privatis; ut *Didacus Ab absolventibus Stella & Maldonatus* ad h.l. rectè observarunt; Non tamen propterea liberatur Reus ab obligatione agnoscendi & deprecandi coram offenso, vel Sacerdote. Detrectantem verò dicere: *peccavi, pœnitet me, μετάνοια*, Ecclesia à gremio suo per excommunicationem meritò excludit. Dico, meritò.

At hîc se ingerit difficultas de *qualitate & modo* confitendi & deprecandi publica scandala, commissa sive in vita, sive in doctrina? Apostoli Regula præcipit, ut publica scandala dantes, publicè confundantur, (*ὡς ἐν τῷ ἁγίῳ*, ut pudore afficiatur) ut reliqui timeant à simili ignominia, II. Thessal. III. I. Tim. V. Atqve hinc natae sunt publicæ illæ *Exomologeses, Pœnitentiæ canonice, satisfactiones Canonice*, quas, ut supra etiam indigitavi, *Apologia Augustanæ Confess. ad Art. XII.* non omninò improbat, si opinio satisfaciendi & merendi coram Tribunali Dei, iis adimatur.

De hac exomologesi sermo est *Act. XIX, 18. 19*: quod multi Ephesiorum, viso & audito exemplo vindictæ divinæ, de filiis Scævæ Pharisæi sumptæ, ob imitationem earundem vocum & gestuum Apostolicorum in patrandis miraculis, neglectâ imitatione fidei Apostolicæ; *compuncti fuerint corde, & confessi similia delicta*, quæ hæctenus latuerant, & quæ illi fortè impune committi posse putaverant. *Alii autem & libros, quibus artes illicitæ describebantur, tradiderint ad comburendum.*

Tametsi enim hanc exomologesin non intelligam de *Sacramentali*, ut vocatur, multò minus de *curiculari & plenaria* singulorum peccatorum à baptismo commissorum recitatione: sed de confessione nondum baptizatorum, credentium tamen, uti ex textu, & parallelis *Act. IV, 4. V, 14. VIII, 12. 13. XI, 21. XVI, 31. 34.* & suffragiis *Basilii, Bedæ*, aliorumqve, ostendit *Lorinus in Comment. b. l.* Indubium est tamen, *Exomologesin* apud Scriptores Ecclesiasticos

7
Exemplum
publicæ Exomologeseos.

8
Exomologesis apud Irenæum.

fumi non solum pro confessione Catechumenorum, sed etiam de confessione baptizatorum, uti ex *Cap. IX. libri primi Irenæi* adversus hæreses apparet, ubi aliquoties mentionem facit *exomologeseos factæ à fœminis, quæ à corruptelâ Marci Valentiniæ heretici ad Ecclesiam redierant*, quarum aliquas, ait, non solum talia confessas, sed unam Diaconi cujusdam Asiæ conjugem, quæ deserto Marito, Marcum aliquot annis secuta fuerat, per univèrsam vitæ tempus in ista *Exomologesi* perseverasse, lugentem & lamentantem propter corruptionem, quam à Marco passa erat. Et lib. III cap. 4. de vertumno Gerdone sermonem faciens ait: quòd sæpè in Ecclesiam veniens, & *exomologesi* faciens sic consummaverit; modò quidè latenter docēs, modò *v. exomologesi* faciens; modò *v. ab aliquibus denūciat* in his, quæ docebat occultè, abstentus à religiosorum hominum conventu; i: excommunicatus fuerit. Abstentorum enim voce pro excommunicatorum, Cyprianus frequenter uti solet, in *Epist. ad Cornelium, Stephanum, Firmilianum*, nec non in *Serm. de Lapsis*, & alibi.

Apud Cyprianum.

Eidem Cypriano Vocabulum *Exomologesis* nunc publicam Catechumenorum confessionem notat de fide & moribus: nunc baptizatorum confessionem de peccatis post baptismum commissis: Auricularem singularum circumstantiarum enumerationem nunquam notat, uti *Chemnitius* noster parte secunda Examini Concil. Trid. per inductionem *Novem specierum Confessionis*, egregiè ostendit; inter quas ultima, sive secreta Confessio, etiam voce *Exomologeseos* insignitur, & ad peccata quotidiana incurvationis extenditur à Cypriano lib. III. *Epist. 14. & 16.* quando dicit: *Etiam in minoribus peccatis veniendum esse ad exomologesi*, atq; inde concludit: Multò minus cum Lapsis in idololatriam per sacrificia, aut thura adolita; sive cum *Libellaticis*, vel etiam *Traditoribus* thesaurorum Ecclesiæ esse communicandum ante *Exomologesi*. De quo argumento legendæ sunt *Simonis Goulartii, & Jacobi Pammelii Annotationes in Epistolas X. XI. XII. XIII. XIV. & LV. Cypriani*, quibus dissvadet præcipitem & subitanèam receptionem Lapsorum, *citra publicam Exomologesi*, & non nisi post edita constantia signa pœnitentiæ; Nec non *Epist. LXII.* (aliis 1. 3. ep.)

ep.

ep. XI.) ad Pomponium, de Virginibus continentiam professis, sed postea in eodem lecto cum masculo deprehensis, Ubi eas quidem quæ diligenter inspectæ ab obstetricibus, Virgines inventæ fuerint, acceptâ communicatione ad Ecclesiam admittendas censet, sub hac tamen interminatione, ut, si ad eosdem masculos postmodum reversæ fuerint, aut, si cum eisdem in unâ domo, aut sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censurâ ejiciantur, nec in Ecclesiam postmodum facile recipiantur. Pergit: Si autem de iis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, & aestimato justo tempore, postea Exomologesi factâ, ad Ecclesiam redeat. In sermone de Lapsis §. 23. ex edit. Pammel. ait: Quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt; Hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & suppliciter confitentur, exomologesin conscientie faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis Vulneribus exquirunt?

Plura de diversis Exomologeseos speciebus, ex Chemnitio hinc ¹⁰ descripsit Goulartius. Quibus utiliter conferentur Centuriatorum Magdeburg. observationes de Ritu circa usum Clavium Cent. II. Cap. VI. nec non Cent. III. eod. Cap. ex Tertulliano, Cypriano & Eusebio. Cæt. IV. eod. ex Theodoro, Sozomeno, Basilio, Ambrosio, &c. Baronius ad Annum Christi XXXVI. & Dionysius Petavius, ¹¹ in Notis ad hæresin Novatianam apud Epiphanium fol. 260. male eam restringunt ad ὑπόπτωσιν & macerationem corporis. Quamquam enim gestus humilis Exomologesi conjunctus fuerit, plangens etiam & lamenta præcesserint; Quæ Salvator quoque apud Matthæum d. cap. XVIII. tanquam signa salutaris effectus, ad correptionem fraternam consequentia requirit & præscribit: Nul- lum tamen idoneum scriptorem nominare potuerunt, qui ipsas actiones & passiones pœnales, quas vocant, sive ipsam macerationem corporis Exomologeseos vocabulo insignivisset.

Huic publicæ Exomologesi submiserunt se ex Imperatoribus Romanis Philippus Imp. Gordiani Patris interfecto & parricida, apud Euseb. l. 6. ep. 23. Valens sub Basilio apud Theodoretum lib. IV. 16.

Theodosius Magnus sub Ambrosio apud *Theodoretū l. V. c. 18. Soz. VII. c. 24. & Arcadius Imperator, si Nicephoro l. 13. c. 34.* credendum est, silentibus illud Historicis, Arcadio tamen coævis, & paulò sequioribus. Cui se hodieqve submittere coguntur publici peccatores in Saxonis Ecclesiis, Vi *Articulorum General. X. & XI. de Banno & Excommunicatione. ejusq; processu.* Neqve sub hoc Lipsiensi Consistorio ulla Ephoria est, in quâ exercitium & executio publicæ pœnitentiæ & deprecationis prorsus expiraverit.

13
Agnitio & re-
vocatio erro-
ris requisita
in Vet. &
Nov. Testam.

Hæc palinodia sive agnitio & confessio erroris & vitii, habet manifesta præcepta & exempla Sanctarum Scripturarum & Ecclesiæ priscae. In Veteri Testamento omnis hostia pro peccato, & maximè magna illa hostia die expiationis requirebat confessionem expiatorum, *Levit. XVI, 21. Num. V, 7. II. Paral. XXX, 16. Nehem. IX, 2. Job. XXXIII, 27.* Huc Davidis spectat parænesis, de necessitate Exomologeseos publicæ peccatorum *Pf. XXXII, 5. seqq.* Salomonis, de noxâ dissimulandi, & spe ingenuæ confessionis *cap. XXVIII, 13.* In novo Testamento satis clarum extat præceptum d. l. Matthæi XVIII. & Luc. XVII. quem hæctenus elucidavimus: *Quoties reversus fuerit & dixerit: Peccavi, pœnitet me, &c. & Apostolorum præcepta passim sunt nota. Si confitemur &c. I. Job. I, 9. Confitemini alter alteri peccata vestra, Jacobi V, 16.* Exempla sacra de confessione enormium peccatorum prostant Josuæ VII. de Achane, Israelitarum *Judic. II, 1. seqq. Jerem. III, 12. 13. Manassis, & aliorum ex divino mandato edita. In Novo Test. Anania & Saphira Act. V: Artes magicas doctorum Cap. XIX. &c.*

14
Etiam apud Prophanos & Idololatrias graviorum saltem peccatorum exomologesin prius edendam fuisse, quàm ad sacrificia expiatoria admitteretur, patet ex Plutarchi Apophthegmatis, quæ Antalcidam initiandum, prius à Mystagogo interrogatum fuisse memorant, *cujus maximè peccati sibi esset conscius: Geminum est in ejusdem Laconicis: Laconem Expiandum interrogatum ante fuisse, à Mystagogo: Τι πρὸξ ἄς ἑαυτῶ σὺ νοιδεν ἀσεβέστατον; Cujus maximè impii sceleris sibi esset conscius? De Nerone Augusto Suetonius Cap. XXXIV. quòd post occisam matrem ad Sacra Eleusinia*

nia accedere non fuerit ausus. Vid. Casaub. *Exercit. XVI. n. 43.* 15

Consonat hinc Sirachidis monitum de non detrectanda palinodia, si quis in errorem de fide, aut scandalosum crimen morum incidit. *Cap. IV. 30. 31. Sustine contumeliam, &c.* Lutherus: *Laß den Hohn über dich gehen / wo du der Sachen gefehlet hast.* Ubi primò interdicatur inficiatio, & impugnatio veræ sententiæ: *Μὴ ἀντίλεγε τῇ ἀληθείᾳ κτ' μηδ' ἐν: Ne contradicas veritati, ne in minutissimo quidem.* Deinde, si qua contraventum fuerit veritati, præcipitur publica recantatio: *καὶ περὶ τῆς ψευματῶ τῆς ἀπαδευσίας σε ἐντρέπηθι.* Junius: *Sed verecundiâ cobibitor, ne mentiaris inopiâ eruditionis tuæ. i: ne TE pudeat agnoscere & confiteri ruditatem vel etiam incivilitatem tuam.* Tanquam esset interdictum de futuro, seu cavendo mendacio & impudentia. Drusius: *Et de inscitia tua confundere, erubescere, pudeat TE erroris aut mendaciî commissi.* Tertio, iteratur interdictum de non palliando errore aut detrectanda palinodia: *μὴ ἀρχυθῆς ὁμολογῆσαι ἐφ' ἀμαρτίαις σε, καὶ μὴ βιάζῃ εἶν ποταμῶ: Ne te pudeat publicè confiteri de peccatis tuis, & ne siste vi fluxum amnis.*

Quorum posteriorum membrorum connexio ostendit; Esse 16
ordinarium & regulare remedium: ut, qui peccavit, in poenam peccati quoad antenus confundatur; Et qui resistit huic congruæ emendationi, illum quasi vim inferre ordinario cursui justitiæ, seu *lætari contra amnem.* Hoc deniq̄ve intendi, ut peccator libens subbeat emendationis modum lege constitutum. Confirmatur hæc sententia & ex antecedentibus *v. 23. 24. 25: Observa tempus, & cave à malo:* Mox sequitur remedium, ubi cautionem neglexeris: *Ne confundaris pro anima tua:* i: ne detrectes confundi pro salute animæ tuæ, ut Vulgatus hîc melius expressit: *pro anima tua ne confundaris dicere verum:* Causa è vestigio sequitur: *Est enim pudor quidam adducens & augens peccatum, est etiam pudor afferens gratiam & gloriam.* Quo sensu etiam *Genevenses & Batavi* hæc verba exposuerunt.

Hieron. Epist. XXVI. ad Pammachium Romanum Consulem: 17
Est confusio quæ ducit ad mortem: Et est confusio, quæ ducit ad vitam.

Au-

Augustinus *Epist. XLVIII. ad Vincentium Donatistam*, primipilum Sectæ Rogatianæ, quæ in ipso schismate schisma aliud & novum fecerat; de modo recipiendi Donatistas in pacem Ecclesiæ, ex professo agens, quum Donatistæ cuperent recipi, quales erant, uti *Vincentius & Cresconius* postulabant, sine ulla palinodia, sine publica pœnitentia, sicut illi qui à Paganismo accedebant; Hisce obijcit, inquam, Augustinus dictum allegatum Siracidis sub finem illius *Epist.* Quid igitur adhuc dubitas, inquit, tenere quod sentis: nisi, quia id quod non sentis, vel aliquando sensisse, vel aliud defendisse confundaris? Et dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod utiq; potius erubescendum fuit. Hoc est illud quod Scriptura non tacuit: Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisq; pravam mutare sententiam: ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur. Ita descendunt in infernum viventes, i: perditionem suam sentientes, ut *Core, Dathan, & Abiram*. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisq; de iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod Te facere piget illâ perniciosâ confusione superatum, &c.

18 Tota difficultas est de modo publicandi, & deducendi confessionem illam ad notitiam publicam, sive illorum quorum interest. Ac de ritu quidem Veteris Christianæ Ecclesiæ satis constat: Exomologeses de enormibus flagitiis, aut corruptelis fidei initio factas præsentem plebem; sequioribus seculis, præsentem Episcopum & Clero recantasse eos, qui à fide desciverant & revertebantur; Si excommunicati fuissent, restitui eos oportebat præsentem Clero & populo: Qui flagitiis se obstrinxissent censura publicâ nōdum notatis, eos à Quinto seculo ad pœnitentiarios Sacerdotes remissos fuisse, quorum cognitioni plures subinde pluresq; casus cæperunt subtrahi, unde casuum reservatorum moderna seges nata est.

19 De redeuntibus ab Idololatria, ad quam à Christianismo, si-
ve minis, sive metu, sive etiam per tormenta defecerant, pro gradu & circumstantiis defectionis, prolixè disposuit Concilium An-
cyræ.

cyræ.

Cyranum in Galatia coactum, decennio ante magnum illud Nicæ-
num; *Can. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.* tùm quoad tempus, tùm quoad modum
pœnitendi, confitendi & satisfaciendi, Ita tamen ut *Can. V. hæc
omnia committantur discretioni & arbitrio Episcopi.*

De Redeuntibus ab hæresi *Catharorum Canon. VIII. Conci-²⁰
lii Nicæni* præscribit, ut *πρὸ πάντων, ante omnia Recantationem su-
am ἐγγράφως in scriptis edant.* Cypriani ætate, *in Clero, presente
Episcopo, & astantibus Laicis, voce fieri* sive Recantationem,
constat ex *sermone de Lapsis, & Epistolis benè multis.* Synodus
Alexandrina ab Athanasio convocata, ut ipse in *Epistola ad Epi-
etum Corinthiorum Episcopum, & ad solitariam vitam agentes* te-
statur, redeuntes à *Seçta Arii & Sabellii* poscit *edere confessionem
suam ἀσφαλῶς, & anathematizare Seçtam, à qua reversi sunt.*

Variasse autem modos Revocationis etiam in *Prisca Eccle-²¹
sia,* constat ex *Varietate Canonum pœnitentialium sub finem
partis tertiæ Decretorum à Gratiano collectorum, nec non ex
Dist. L. C. 64. Dist. LXXXII. Can. 5, aliisque pluribus locis.* Ritum
pœnitēdi & mores descripsit *Sozomenus lib. VII. Cap. 17.* Ex eo aliis-
que *Historicis Magdeburgenses Centuria IV. cap. 6.* Chemnitius ad
*Sess. XIII. Concilii Tridentini, Marcus Antonius de Dominis l. V. de
Rep. & alii.*

Libelli Recantationum, saltem eorum qui ab hæresi aut *Seçta²²*
revertebantur, exstant ap. *Historicos innumeri.*

Formulam libelli Pœnitentiæ & Recantationis ac depreca-
tionis simul, quâ missâ ad *Coriphæos Episcoporum,* ut *Socrates lo-
quitur, Arii Complices jussu Imperatoris Constantini M. ab Exi-
lio revocati sunt, & Ecclesias suas receperunt, Nicomediensem
quidem Eusebius, Nicænam verò Theognis, exhibet dictus Socrates
lib. 1. cap. 14.* Libellus sic infit: *Oportebat quidem Nos, cum jam à
Reverentia Vestra condemnati essemus, quæ à Sancta Vestra cognitione
sunt dijudicata, cum silentio ferre; Verùm quia absurdum esset, si con-
tra nos ipsos Sycophantiæ documentum silendo daremus; ob eam cau-
sam hoc significamus: Quòd Nos & Fidei (Nicænae) consensimus, &
inquisitione de sensu Homousii factâ prorsus pacati sumus. Qui etiam*

E b

he.

Libelli pali-
nodici.

heresi nequaquam adhaesimus, sed propter cautionem ac cunctitudinem Ecclesiarum admonuimus, quæcumq; menti nostræ succurrebant: Et ut illis, qui per nos persuaderi debebant, satisfaceremus, Fidei subscripsimus, ANATHEMATISMO autem (contra Arium) NON SUBSCRIPSI-
MUS. Non, quòd Fidem reprehendamus, sed quòd non credidimus, Talem eum (Arium) esse, qui accusatus est: eò, quòd ex iis quæ ad Nos ille seorsim vel per Epistolam scripsit, vel coràm loquutus est, Talem Eum NON ESSE persuasi sumus. Si verò Sancta Vestra Synodus sic persuasa est (Arium Talem esse) non repugnamus, sed Decretis vestris consentimus, Et PRÆSENTI HOC SCRIPTO CONSENSUM NOSTRUM CONFIRMAMUS. Non, quòd exilium molestè feramus, sed ut suspicionem hereseos reprobemus, &c. Et hic quidem Palinodia libellus est (addit Socrates) Eusebii & Theognidis. Mox verò Cap. XXIII. ejusdem libri refert: Eusebium Nicomedia, & Theognidem Nicææ Episcopos, postquam sedibus suis restituti fuissent, Nicenam fidem, structis Athanasio insidiis, subvertere conatos esse.

23 Formulam Recantationis Arianæ, ab Ario & Euzoio, at subdolè scriptam retulit idem Euseb. ibid. Cap. 26. postquam C. XIV restatus erat: Arium etiam ante hanc Palinodiam, ab exilio quidem revocatum, Alexandrinam tamen urbem accedere vetitum fuisse, donec reditum ad Ecclesiam & urbem hanc, factâ pœnitentiâ sibi parasset. Libellus Pœnitentiæ hîc erat: Credimus in unum Deum, Patrem Omnip. &c. Et in D. N. J. C. Filium ejus, ex eo ante omnia secula genitum (fingebat Veterator aliquod tertium Nûv inter Tempus & Æternitatem) Deum verbum, per quem omnia facta sunt, tum quæ in Cælis, tum quæ in terrâ, &c. (Homousion omittit) Hanc fidem ex Sacris Evangelii accepimus, Domino discipulis suis dicente: profecti, &c. Baptizantes eos in nomen Patris, Filii & Sp. S. Sicut Universa Catholica Ecclesia & Scripturæ docent, quibus per omnia credimus. JUDEX noster Deus est, & in hoc & in futuro seculo. Quapropter Pietatem Tuam, DEO dilectissime IMPERATOR, obsecramus, ut nos, cum Ecclesiastici Viri simus, & FIDEM & SENSUM Ecclesiæ, sensumq; Sanctarum Scripturarum teneamus, per pacificam & religiosam pietatem Tuam, diremptis Quæstionibus & PERISSOLOGIS, Matri nostræ, Eccle-

clesia videlicet unias, ut & Nos & Ecclesia in Pace degentes, consuetas inter Nos preces pro pacato Imperio, omniq; familiâ Tuâ conjunctim, & cunctifundamus.

Quomodo verò Athanasius ad insufficientem hanc Palinodiam, Arium ad Presbyteratus officium in Ecclesia Alexandrina recipere detrectaverit, Et propter hanc detractionem à Tyriensi Synodo depositus, mox Imperatoris religiosissimi licet, mandato in exilium pulsus sit, sequentibus Capp. d. l. commemoravit idem Eusebius.

Libellum Resipiscentiæ, quem *Ursacius* Singidonensis in My-²⁴lia, & *Valens* Murforum in Pannonia, Ariani Episcopi *Julio Romano Episcopo* obtulerunt, & communionem cum eo impetrarunt, etsi & hi dolo eum circumvenirent, descripsit idem *Socrates lib. II. Cap. 12.*

Ad quam Palinodiam provocat *Ariminensis Synodus* in Epistola ad Constantium *ibid. Cap. 37.* his verbis: *Unde Ursacius & Valens, quoniam Ariani dogmatis jam olim participes, inq; illo cum reliquis Arianis concordēs & à nostra communitate separati fuerunt: ut illius participes redderentur, pœnitentiam ac veniam eorum sibi dari petierunt, quæ deliquisse se cognoverunt: Sicut & SCRIPTA AB ILLIS FACTA testantur, per quæ omnium veniam & culparum ignoscantiam sunt consecuti.*

*Petri Moggi, sive Gnaphei Alexandrini Episcopi Recantatio*²⁵ hæreseos Eutylianæ, quam propriâ manu exaravit: uti *Zeno Imperator* ait, recitatur ab *Evagrio lib. III. cap. 17.* & ad eam provocat laudatus Imperator *Cap. XX.* ejusdem libri, atque exinde conficere satagit: quod *Acacius Constantinopolitanus & Felix Romanus* immeritò posthac communiōne illius Petri abstinerent.

*Joannis Constantinopolitani Episcopi libellus Reconciliatio-*²⁶*nis* ad *Hormisdam Papam* missus, de excommunicando & expungendo *Diptychis* nomine defuncti dudum *Acacii Constantinop.* legitur in *Actis Conciliorum apud Biniū Tom. II. parte I. fol. 582.*

De publica confessione & Retractione *Eleusii Cizizeni Episco-*²⁷

pi, quod per Valentem Imp. ad communicandum cum Arianis se cogi passus fuisset: testatur *Sozomenus lib. V c. 8.*

28 De *Eustatii Sebasteni, Sylvani Tharsensis, & Theophili Castableni* publicè scriptâ *Recantatione Ariminensium decretorum*, quibus dolo & perjurio persuasi subscripserant, idem *Sozomenus ibid. cap. XI.* perhibet.

29 *Berengarii Andegavensis Ecclesiæ Diaconi Recantatio*, Romæ coram CXI. Episcopis facta, quâ fatetur, quod post consecrationem in Sacramento Altaris *NON SOLUM Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguis Christi adsit*, extat etiam in Decreto Gratiani Dist. II. de Consecrat. Can. 42: Ego Berengarius. Post hæc quidem in Synodo Anno MLXXIX. *aliam formulam Recantationis* edidit, quæ Transubstantiationem & abolitionem Elementorū panis & vini in se continebat, de qua legendus *Binius & Polemici*; sed ista hæc genuina est, cui Berengarij in hæc verba subscripsit: *Eos, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & Sectatoribus suis eterno Anathemate dignos esse pronuncio, &c. Lecto & perlecto sponte subscripsi.*

30 De sua ætate eaqve meliore testatur *Cyprianus lib. I. epist. 3. Pamela LV*: Quod reversos ab hæresi Novati, peccatum suum satisfactione humili & simplici in publico confiteri oportuerit: Ejus *σύντομος* & *Cornelius Romanus ibid. epist. XI. lib. 3. (Pamel. 46.)* de *Palinodia Maximi Presbyteri, Urbani, Sidonii, Macarii, & aliorum Novatianorum* (Schismaticorum tantum) voce & scripto factâ, & populo publicata, idem attestatur: *His ita gestis*, inquit, *in Presbyterium venerunt Maximus, Sidonius, Urbanus & Macarius, & plerique fratres, qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut in oblivionem cederent ea, &c. Quod erat consequens: Omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut & ipsos viderent in Ecclesia constitutos, &c.*

Eorundem Coætaneus *Dionysius Alexandrinus* apud *Eusebium lib. VII. cap. 7.* de Antecessore suo *Heracla* ait: *Proditos, quod ad heterodidascalum accessissent, ab Ecclesiâ pepulit, nec deprecantes*

quidem admisit, NISI publicè cuncta exposuissent, quæ audierant ex Adversariis.

Synodus Laodicensis, ante Nicænam Magnam, ut fertur celebrata, *Can. 7. & 8. de his qui revertuntur ab hæresi Novati, Sabellii, Quartadecimanorum, & Cataphrygum præcipit: ut anathematizent omnes hæreses, præcipuè eam à qua revertuntur.*

Pseudocanonas XXXVI. & XXXVIII. Concilii Magni Nicæni, ex editione *Alphonsi Pisani*, etsi planè idem definientes, non allego. Concilium Arelatense secundum, *Anno Christi CCCXXVI.* ut vetus inscriptio habet, ex *Binii* autem sententia sub *Siricio* celebratum *Can. 9.* sanxit: *Novatianum in communionem recipi non debere, nisi susceptâ pœnitentiâ incredulitatis, præteritum DAMNET ERROREM.*

Notissimus est processus *Synodi Magnæ Ephesinæ* cum Nestorio Constantinopolitano Patriarcha, hæreseos insimulato. *Epistola Synodi* ad ipsum scripta & recitandi spacium determinans *apud Binium fol. 151.* sic habet: *Cæterum minimè sufficiet, si Reverentia tua ILLUD TANTUM FIDEI SYMBOLUM, quod pro illo tempore in magna illa Synodo, quæ in Spiritu Sancto in Urbe Nicæa quondam convenit, expositum est, nobiscum confiteatur* (ἐκ ἀρκέσει τῆ σὴ ἐκλαβεῖα, τὸ συνομολογῆσαι μόνον τὸ τῆς πίστεως σύμβολον, τὸ ἐκτεθεὶν κτ' καὶ ἄλλοις, ὡς τῆς ἀγίας καὶ μεγάλης συνόδου κ.τ.λ.) *Verum, præter hoc etiam oportet, ut* (ἐγγράφως καὶ ἐνωμότως) *scripto & quidem juratò confitearis, & anathematizes, publiceque abjures, quæ profanè & scelestè hæcenus sensisti aliosque docuisti. Ea verò posthac Te sensurum & docturum sanctè pollicearis, quæ & Nos & cæteri omnes, quotquot velin Occidente velin Oriente vivunt Episcopi, Doctores ac populorum Duces, sentimus, &c.*

Et post recitatum Symbolum, ac propositam doctrinam de *Communione personali & communicatione Idiomatum*, in thesi; sub finem

Epistolæ repetunt postulatum suum: His omnibus & Tuam Reverentiam subscribere oportet, & assentire citra omnem fucum aut dolum: *συνθεῖς διχα δόλῳ παντ*. Germani dicerent: **Treulich sonder alle Gefehrde.** *Quæ verò necessaria sunt ut execretur & anathematizet Tua Reverentia, ea nostræ huic Epistolæ in hunc modum hoc loco subjiciuntur, &c.* Et sequuntur XII. Anathematismi Cyrilli, præscripti Nestorio, ut, si pacem cum ipsis cupiat, similiter eadem execretur, quæ XII. illis Anathematismis exploduntur.

36 In Chalcedonensi Synodo publicam Recantationem ab Eutyche & Dioscoro sæpius atque iterum postulatam, eaque cum denegata fuisset, Hæresiarchas hos excommunicatos fuisse solenni excommunicatione, omnesque pariter, qui solis de Religione colloquiis iis adhærerent, notissimum est ex actione I. illius Concilii apud Binium Tom, II. parte I. Atque inter alias causas, quibus Flavianus Archiep. Constantinopolitanus Eutycheti Palinodiam persuadere nitebatur, etiam hæc erat fol. apud Binium 83: *Homines jumentis: Pœnitentia non adfert confusionem, sed permanere in peccato opprobrium est. Sicut enim vermis consumit lignum, in quo nascitur, ita & peccatum permanens in faciente illud. Accedat igitur ad Synodum Eutyches, Et confitenti delictum, & anathematizanti dabimus pro præteritis veniam: De futuris autem Nos & Sanctam Synodum muniet, Quod consona Expositionibus SS. Patrum sapiat, & præter has neq; docere postmodum aliud velit, neq; aliud in præsentia aliorum differere. Hoc decet & τοχρη.*

37 Ambrosius in Pl. CXVIII. Serm. 8. vers. 2: *In Ecclesia, inquit, Ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet justitiæ forma, ne quis à communionis consortio abstentus, BREVI LACRYMULA ad tempus parata, aut etiam uberioribus fletibus, quod plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne uni indulgens indigno, multos ad prolapsionis contagium provocari facit? Facilitas enim Veniæ, incentivum tribuit delinquenti: ut sciamus, secundum Dei verbum & rationem dispensandam esse debitoribus miseri-*

ri-

ricordiam. Medicus, si serpentis interius inveniens vulneris saniem, cum resecare debeat ulceris vitium ne latius serpat, à secandi tamen urendiq; proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro fuit aperiendum; nonne inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis & exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intereat? &c. Plura hujus argumenti de scandalosis non facile in gratiam recipiendis legas apud *Espencaum* in *Cap. III. ad Titum, ad versum 10.*

Modum & formam *Recantandi pro Arianis*, præscribunt *Antiocheno Patriarchatui Athanasius & Socii* ex *Alexandrina Synodo*, in *Epist. ad Antiochenos Tom. I. Opp. Græcolat fol. 447.* nec non ad *Ruffinianum Tom. 2. fol. 47.* quæ *Palinodia* consistebat, (1) in confessione erroris (2) apertâ execratione *Arii*: (*Φανερώς ἀναθεματίζεωσαν*) & deniq; (3) confessione *Nicænæ fidei*. 38

Aurelius, Alipius, Augustinus, Evodius & Possidius, apud *Aug. Ep. XCV.* *Innocentio Papæ Romano*, de latete in *Urbe Pelagio* sic scribunt: *Anathematizet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra gratiam, si non per contumaciam, tunc per ignorantiam disputat. Aut si sua esse negat, anathematizet ea tamen & damnet, paternâ exhortatione & autoritate sanctimonie tuæ. Si vult; Ergo onerosum sibi, & perniciosum Ecclesiæ disat scandalum auferre, quod scandalum Auditores & in peruersum dilectores ejus usq; quaq; spargere non quiescunt.* 39

Approbat hoc postulatum seq. *Epistolâ Innocentius*, quem more suo seivum potius quàm eruditum, & ad damnandum quàm ad docendum instructiorẽ hic se dare, *Roterodamus* immeritò censet. Respondet enim, sibi non constare, habeat *Romæ Pelagius* nec ne: Accersi autẽ à vicinis *Afris* citius è *Palestina* posse quàm à se. Posse etiam absentẽ ea damnare, quæ objiciebantur; ac datis literis, erroris sui veniam postulare, ut regressum ad nos decet. *Anathematizet ergo ista quæ sensit, ut illi, qui sermonibus ejus præceptisq; fuerunt collapsi, quid tandẽ habeat fides vera, cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista suo senserint Autore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere; agendum est, quãlitem vel iis possit subveniri, quos* 40

NONI

non scelus hūc, sed magis error induxit: nec & illis hæc medicina pereat, cuius iste talem non admittit nec postulat curam.

41 *Noxa dilata
censura.* Idem Innocentius Epist. XXV. apud August. XCII. de Pelagianorum tūm ejectione tūm receptione conditionatā: *Avellendi* ait, *sunt longius & ab Ecclesiæ procul visceribus removendi, & c.* Diu enim in hac impunitate versati, multos necesse est in hanc pravitatem inducant, decipiantq; innocentes vel potius imprudentes, qui putabunt eos rectè sentire, quos adhuc in Ecclesia viderint perdurare. *Separatur à sano corpore vulnus insanum, grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur, & c.* Qui tamen, si tandem aliquando de hac Tabe liberentur, quasi in lucem de fæda tracti caligine, & c. **DAMNENT HÆC**, quæ hucusq; senserunt, & animum rectis Disputationibus accommodantes, correcti, veris se sanandos consiliis tribuant atq; submittant; **ERIT IN POTESTATE PONTIFICUM** iis aliquatenus subvenire, & c.

42 Idem seq. Epist. XXVI. (Augustino XCIII) primūm excommunicat Pelagium & Cœlestium, omnesq;ve iis adhærentes, eosq; defendentes, non solum facientes, sed & facientibus consentientes, Rom. I. *Quia non multum interest, ait, inter committentis animum, & consentientis favorem: Et errare plerumq; dediscit, cui nemo consentit. Absint ab atris Domini: careant custodia Pastoralis, ne duarum ovium (Pelagii & Cœlestii.)*

Dira per incautum serpant contagia vulnus: rapaxq; lupus letetur tantas ovium catervas, dum à custodibus DISSIMULATUR Duarum vulnus, esse suas. Prospiciendum, ne lupos permittendo, Mercenarii magis videamur esse quàm Pastores.

43 Mox de conditione recipiendi has Duas oves: *Jubemus sane, (inquit) quia Dominus propria voce significavit, nolle se mortē morientis, sed tantum ut revertatur & vivat; Si unquam sani, deposito pravi erroris dogmate resipuerint; DAMNAVERINT QVE* ea, quorum se prævaricatione damnabant; solidam eis medicinam non negari. *Ne, dum eos redeuntes forsitan prohibeamus, extra ovile manentes expectantis hostis rabidi faucibus glutiantur.*

Eodem

Eodem seculo Leo Papa peculiari serm. de Vitandis hereticis
in scripto, multa de obligatione vitandi & deserendi eos præfatus,
postea de conditione eosdē recipiendi ait: *Quosdam ergo, qui re-*
buis impiis consensum præbuerant, reconciliationem reposcentes & Ca-
tholicorum communionem desiderantes sic exaudivit Ecclesia, ut corre-
ptis, & ERRORES PROPRIA SUBSCRIPTIONE DAMNANTIBUS,
pacis gratia tribueretur.

44

Leonis P.
sent. de Palino-
dodia.

Idem Leo Epist. XL: Communionis cupidos sic admissos ait:
Quatenus plenis satisfactionibus malè gesta condemnarent, & ut digno
PRILLIS anathemate contra fidem Catholicam recepta damnarent. I-
terum Leo Epist. XLI: Qui se deceptos doleant, & DAMNATA cum
Autoribus suis perfidiâ gratiam communionis nostræ exposcant, nos li-
benter accipimus, reddituri eis quam desiderant communionem, cum
promissa compleverint.

45

Eodem seculo Quinto, Gelasius, XXX annis Leone posterior
indignatur Proceribus Constantinopolitanis, quod communica-
rent Acacio heterodoxo, & nondum reconciliato, in commonitorio
ad eos misso, quæ est Epistola V. apud Binium fol. 470. ex qua petitus
est Canon. 2. 24. q. 2: *Veniam sibi dari proponunt? Legatur, ex quo est*
religio Christiana, vel certè detur exemplum in Ecclesia Dei, à quibusli-
bet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso deniq; Salvatore veniam NISI
SE CORRIGENTIBUS fuisse concessam! Auditum enim sub isto cælo nec
legitur omninò, nec dicitur, quod eorum voce depromitur: DATE VE-
NIAM NOBIS DUM TAMEN NOS IN ERRORE MANEMUS,
&c. Ostendant, quibus hoc Canonibus, quibus Regulis, qua lectione, quo-
ve documento, sive à Majoribus nostris, sive ab ipsis Apostolis, sive ab ip-
so Salvatore hoc factum est unquam? &c. Mortuos suscitasse Christum
legimus: in errore mortuos absoluisse non legimus.

46

Gelasii T. pro-
vocatio ad
perpetuam
legem Christi.

In Decreto Gratiani l. 9. 7. duo Canones ex Epistola Leonis
Magni ad Januarium Episcopum Aquilegiensem citantur, & Ter-
tius ex Concilio Martini Papa, qui scripto exhiberi, & ex scripto præle-
gi palinodias volunt. Canon IV. ex Synodo Oecum. VII. ait: *Con-*
stitutio Ecclesiastica canonice à sanctis Apostolis, & successoribus eorum,
& Sanctis Universalibus sex Synodis tradita habet: Ut, qui ab aliqua

47

Iterum Leo-
nis I. & alio-
rum.

Cc

be.

heresi revertuntur ad Orthodoxam fidem, SCRIPTO negare debeant: heresin suam, & confiteri Catholicam fidem.

48 Can. XX: Donatum autem Salicinem ex Novatiano cum sua plebe conversum, ita Dominico volumus gregi praesidere, ut LIBELLUM fidei suae ad Nos meminerit dirigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & PLENISSIME confiteatur Catholicam veritatem.

49 Can. XXI: Saluberrimum enim, & spiritualis medicinae utilitate plenissimum est, ut siue Presbyteri, siue Diaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atq; ad Catholicam fidem, quam pridem amiserant, rursus reverti ambiunt; prius errores suos & ipsos Autores errorum damnari a se SINE AMBIGUITATE fateantur, ut sensibus etiam pravis peremptis, nulla sperandi super sit occasio, ne ullum membrum talium possit societate violari, quum per omnia illis Professio propria caperit obviare.

50 Can. XXII: Si quis Episcopus, siue alicujus Episcopi Presbyter aut Diaconus in alicujus heresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus, Nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi Concilio, PORRECTO prius fidei suae LIBELLO, satisfaciat omnibus, & ita liberam teneat purgationem. Hoc idem & de fidelibus Laicis sit decretum, si in aliqua heresis opinione fuerint NOMINATI.

51 Quamvis Justinianus Augustus, ejusque conjux Augusta, in Vigiliis Romano laborarint, ut Anthimum Eutybianum, a Decessoribus Romanis Episcopis excommunicatum reciperet, Cedrenus & Zonaras prolixè commemorant. Extat Vigiliis Epistola ad Mennam Constantinopolitanum Anno Christi DXL. scripta. Tom. II. Concil. parte 2. fol. 6. apud Binium, de receptione Anthimi sic habens: Hoc per omnia reservantes, ut si vel eorum vel quorumlibet errantium, quasi agnita fidei Catholicae veritate penitentiam agens, reverti voluerit, & heresis in qua volutatur errore concepto, SCRIPTURAE QVOQUE PROFESSIONE universam errorum suorum ac COMPLICUM damnaverit pravitatem, & Apostolica sequens instituta doctrina, ANATHEMA dixerit ei, qui vel praedictas IV. Synodos:

*n fidei causa non sequitur, vel b. recordat. prædecessoris nostri Leonis
constituta in omnibus non consistetur, & c. tunc communionis nostræ, sub
Apostolicâ & Canonica satisfactione ageretur.*

In Decreto Gratiani d. c. 1. q. 7. *Can. Quoties 9. ex Gregorio 52*
Magno præscribitur jurata formula Recantationis scripto exhibenda Abjuratio
ab Episcopo & Clericis, si qua in hæresim lapsi fuerint: cujus ex- hæreseos.
trema clausula post jurisjurandi præmissam formulam: (Jurans
dico per Deū Omnipotentē, & hæc sancta quatuor Evangelia, quæ mani-
buz teneo, & c.) describit solennitatem scripturæ extradendæ his
verbis: Hanc autem professionis, promissionisq; meæ Chartulam, No-
tario illi, cum consensu Presbyterorum & Diaconorum atq; Clericorum,
qui me in hac unitate obligantes, in supra scriptis omnibus pronâ simul
voluntate secuti, atq; propriis manibus subscripturi sunt, scribendam di-
ctavi, & propria manu subscribens Tibi N. tradidi: Actum in loco N. die
N. & consulibus supra scriptis. Ego N. Episcopus civitatis N. huic
professioni promissionisq; meæ, præstito de supra scriptis omnibus servan-
dis Sacramento subscripsi.

Seqviorum seculorum statuta non allego, videnda apud *53*
Magdeburgenses & Biniū, ll. dd. Et optandum quidem nec mi-
nus æquum erat, Hunc satisfaciendi modum non exigi solūm, sed
etiam impetrari posse ab omnibus heterodidascalis. Neque
negari debet, eum aliquando, ubi manum fecerint Novatores, ne-
cessarium esse, nempe: ut per signū externū, quæle est publica pa-
linodia, constet seductis, fluctuantibus, meliora præsumentibus, &
multò benignus de hæresi persuasis, uti *Eusebius & Theognis, Innocen-*
tius & Leo paulò ante de seductis hæreticorum fautoribus pro-
nunciabant, ut his inquam, constet: Quòd seductor omninò gravi-
ter erraverit, & seriò doleat. Ne simpliciores & Idiotæ errores i-
stos, & pravas opiniones de Religione parvipendant, & sensim ad
impietatem, aut fanaticarum de Deo & rebus divinis imagina-
tionum indifferentiam prolabantur: Deniq; ut scandalum pu-
blicè datum publicè etiam aboleatur ex hominum animis.
Certæ enim atq; immotæ quidem veritatis est: Heterodidascalū *54*
in foro cōsciētæ nō absolvi à debito expiandi delictum, pro qua-

litate & quantitate scandali dati, etiam si ad majora incommoda avertenda, satisfactio etiam iusta ei ab hominibus aliquando condonetur & remittatur: Quemadmodum Latro nunquam absolvitur ab obligatione restituendi, etiam si spoliatus rem ablatam non repetat.

55 Certum: non solum confessionem sed etiam deprecationem datorum scandalorum publicorum, esse precepti divini, uti exemplis Achaonis, Saulis & Davidis constat. Jerem. III. Saltem a modo voca me Pater meo, &c. sum misericors, veruntamen agnosce iniquitatem tuam, &c. Ubi legendus Hieronymus: Erubescat, inquit, haeretici, qui nolunt ad meliora reverti, & audiant: Saltem a modo voca me, Pater meus, &c. Neque Paulus Apostolus admittebatur ad communionem Ecclesiae Ierosolymitanae, antequam se sufficienter purgasset de haeresi Pharisaica Act. IX, 26. seqq.

56 Immotum denique & notorium est preceptum divinum, de honore Deo tribuendo & confusione nostra sponte subeunda, quoties publicum scandalum dedimus. Volo, ut Mirjam septem diebus ignominiam ferat, ac si pater in faciem eius expuisset, antequam recipiatur in communionem. Num. XII, 15. Tibi iustitia, nobis autem confusio faciei. Dan. IX.

Veruntamen, quum preceptum sit affirmativum, requirens ad exercitium & executionem sui, temporis etiam opportunitatem, loci, & personarum; hinc fit, ut Confessio & Deprecatio etiam publica, aliquando fiat realiter, & tacite quoad verba revocatoria: aliquando expressè, tum quoad publicam expressionem vocum palinodicarum, tum quod ad realem demonstrationem abstinentiae à pristino scandalo, sive in vita, sive in doctrina dato attinet.

Palinodia realis & verbalis.

58 Revocatio realis & tacita dici poterit, quando dictum vel factum commissum damnatur per abstinentiam evidentem ac notoriam, ab heterodidascalia vel scandalo, sive per non repetitionem eius; additamque stipulationem, de non iteranda, de vitanda occasione, loco, tempore, annexis illi scandalo, quod quis

quisquam dedit: *Expressa*, quæ voce publicâ, sive propriâ sive vicariâ profertur. Ita *Aaron* publicè quidem legitur excusasse ministerium suum, quod Idololatriæ commodaverat; at deprecatus est & revocavit tacitè, per abstinentioniam ab idololatria, & per publicam doctrinam & exercitium veri cultus, Exodi XXXII, 22. 25. seqq.

Publica etiam Recantatio sumitur duobus modis, sive de Reali & tacita, sive de Verballi palinodia intelligatur, Publicum & publicè fieri dicitur, quod sive coram Ecclesia repræsentativa, id est, coram Presbyterio exhibetur; sive etiam quod coram Ecclesia collectiva ex Pastoribus & Auditoribus cujusvis Ecclesiæ Particularis, unius sive plurium agitur. *Publicè factum dicitur, quod coram legitimo iudice fit*, & judicialia acta inducunt notorium, faciunt publicum. *gl. in c. Manifesta. 2. q. 1. Navarrus Enchirid. c. 27. &c.*

59
Publicè fieri,
quid.

Hoc sensu supra dicebat Cornelius Romanus in Epist. XLVI. ad Cyprianum: *Maximum Presbyterum & Socios ad Novatianam hæresin prolapsos, indeque reversos revocasse in Presbyterio; consequens autem fuisse, ut ostenderentur plebi in Ecclesia, quod iterum recepti essent.* E. non revocarunt coram plebe, sed ostensi solum sunt plebi, quod Pastoribus modis idoneis satisfecissent.

60

Subjectorum quoque, sive personarum à quibus exigitur Recantatio, diversa habenda est ratio. Quidam enim (1) inter notorios hæreticos, cultu, professione, templis, communione Sacramentorum, ab Ecclesiâ publicè separatos nati & educati sunt, iiq; (2) vel Doctores, qui hæresin publicâ doctrinâ defenderunt, vel (3) Idiotæ, quos *credentes hæreticorum* appellare solemus. Quidam (4) Apostatæ sunt mente & cultu externo simul, & in cætibus hæreticorum communicant: (5) Quidam Apostatæ mente tantùm, notorii tamen ex signis, quia cum Orthodoxis non communicant, neque etiam cum heterodoxis, eò, quòd *communione per Symbola sive Sacramenta, & per aggregationem ad publica sacra, non necessariam putant, ad communionem internam cum Sanctis & Electis sive obtinendam sive retinendam.* Qualem Sectam *Hugo Grotius*

61
Discrimen
errantium.

nuper facere conatus est, in qua etiam expiravit. (6) Quidam sunt heterodoxi mente & opinione tantum; Quidam (7) mente & professione simul, qui tamen in externa communione Orthodoxæ Ecclesiæ tantisper manent, donec de iis, vel excommunicandis, vel suspendendis, in iudicio competente statuatur.

62
Errantes de
silencio tenen-
do.

(8) Ipsi denique heterodoxi in Ecclesiæ visibili communione tantisper hærentes, aut laborant falsâ opinione circa verum & falsum dogmaticum; aut dogma quidem verum approbant, sed laborant errore *circa tolerantiam dogmatum* heterodoxorum, quæ tolerantia ipsorum iudicio, consistat sive in silentio, & non contradicendo heterodoxiæ, vel reali tolerantia heterodoxorum in cætu & communione Orthodoxorum, etsi cum contradictione & Refutatione heterodoxiæ; Quemadmodum *Meletius Thebaidis Episcopus* dogma Arii non approbabat, sed refutabat; & primus erat, qui Arii heterodoxiam *Petro Alexandrino* detegebat; Noxam tamen Ariani dogmatis non putabat tantam, ut Arius & Socii Communione propterea excludendi essent, apud *Epiphan. hæres. LXVIII.* Quæadmodum in cætu Romanæ Ecclesiæ superiore seculo tolerati sunt *Ambrosius Catherinus Compse Episcopus, Dominicus Soto Segobiensis Episcopus, Cardinalis Cajetanus, Conradus Clingio, Erasmus Roterodamus, Didaco Stella, Joannes Gropperus, Georg. Wicelio, Albertus Pihgius, Ruardus Tapperus, Joannes Hesselius à Lovanio, Michael Bajjo, Theologi Lovanienses, Georgius Cassander, Claudius Espæcaus, aliiq;* innumeri, quorum scripta vel inter *libros prohibitos*, vel inter *libros expurgandos*, publicâ Pontificis Romani sententiâ rejecti sunt, hodieqve à Pœlemicis partis Pontificiæ *hereticarum propositionum*, sed non formalis hæreseos accusantur. Et quemadmodum Calvinistæ & Arminiani hodie multos, opinione privatâ & publica Sæctæ Calvinii nequaquam deditos, ad sacra tamen sua admittunt: legeqve publicâ *Charentoni anno M DCXLI.* sancitum est: ut Lutherani *citra revocationem suæ sententiæ*, ad Synaxin Hugonottorum admittantur.

63

Priores V, Classes, quia publicum scandalum dederunt, & corpore extorres facti sunt ab Ecclesiâ, ad *Realem & verbalem Recan-*

can-

cantationem meritò tenentur: nam dolus semper de talibus præsumitur, quòd intus sint lupi rapaces M. 8. Ergo quovis modo explorandi sunt. Modus a. sive tolerandi & permittendi, sive recipiendi & recòciliandi posteriores Tres Classes, pro diversâ qualitate personarum, locorum, & temporum, haud immeritò committitur prudentiæ & arbitrio Ecclesiæ, in qua tales latent, vel ad quas externâ communionem se recipere satagunt. Namque etiam jure civili ad arbitrarias judicum sententias spectat, Maledicis vel Recantationem imponere, vel Palinodiam convertere in judicialem Declarationem, aut Christianam Deprecationem, quæ non infamat. Ut postea pluribus ostendetur.

Cùmque hæc signa pœnitentiæ, remedia sint, tum extinctiva vitii, tum prophylactica adversus recidivam; à prudenti Medico sic adhibenda erunt, ne sive quantitate plures, damnum æquale vel etiam majus inde contrahant aut sentiant, sive qualitate majus damnum ab executione juris probabiliter timendum veniat; ubi scādalous peccator, qui factò quidē ipso desistit à scādali continuatione, aut destiturū se pollicetur, si publica confessio & deprecatio ei fuerit remissa; nullo modo permittitur in communionem nostram ultra vivere, sed arcetur ab eâ & expellitur. Hanc ipsam enim ob causam suspensio & moderatio non quidem effectuum correptionis fraternæ, sed signorum, per quæ effectuum actualis existentia publicè innotescere solet, arbitrio illius Ecclesiæ, in quâ scandalum excitatum fuit, per *Canones Laodicensi, Ancyranum & Niceni Concilii supra allegatos* committebatur. Ecclesia enim tanquam administratrix mysteriorum & judiciorum Dei, noverit etiam hujus *Ἐργασίας σιτομέτρου* justo tempore & mensurâ singulis impertiri, Lucae XII, 42.

Agnitionem quidem erroris aut delicti, illiusque signa oportet esse in comperto, antequam quis habeatur pro lucrifacto, aut permittatur manere in communionem, vel redire ad communionem publicam, à qua fortè suspensus erat; At confessionis publicæ & deprecationis signa publica, positiva, evidentia & sensibi-

bilia passim omnibus, præter illa signa quasi privativa, quæ ex abstinentia & non continuatione peccati elucescunt, possunt aliquando remitti, ad malum in proportione majus præcavendum vel avertendum.

66 Ratio in proptulo est: Primò enim doctrinæ scandala haud dubie veniunt sub figura *Zizaniorum Matth. XIII, 41.* Et publica exomologesis, publica deprecatio, Revocatio, Recantatio talium, sine dubio habendæ sunt inter *instrumenta evellentia ista Zizania*. Itaque, ob quem finem præceptum est, ut permittatur scandalis ipsi incrementum; scil. ne damnum majus fiat: ad eum finem obtinendum licitum saltem erit, ut omittatur publica jactantia & ostentatio instrumentorum evellentium, qualia sunt: publica exomologesis, deprecatio, Recantatio: quando Zizaniorum incrementum aliis etiã mediis sisti & impediri potest. Impeditur autè subtractione soli, succi, radicis, id est, stipulatione abstinendi à continuatione scandali, sive ab incrementis & fomentis Zizaniorum seu scandalorum. Ergo ad cavendum incrementum scandali, potest abstineri ab hac saltem adjuvante causa evulsionis.

67 Deinde, ob quam causam non solum licet sed etiam oportet totum officium correptionis fraternæ omittere, ob eam saltem licebit omittere quædam signa & notas probabiles producti effectus ex officio correptionis fraternæ: Sed ad evitandum malum si-ve in qualitate, si-ve in quantitate & dilatazione majus, non solum licet sed etiam oportet omittere totum officium correptionis fraternæ, ut supra §. XI. de tempore & oportunitate correptionis ostendi, quando Tyrannus, vel Latro, vel Homicida, vel Adulter, vel quivis alius Maleficus per correptionem meam probabiliter putatur magis irritandus & inflammandus ad nocendum animæ suæ, vel aliorum, famæ, fortunæ, corpori, &c. Tunc oportere omitti correptionem, cujus finis principalis est lucratio animæ peccatricis: Ergo ob eandem causam, scil. ad vitandum majus malum, ad præcavendam continuationem & frequentationem scandali, pertractionem aliorum in partes, dissidia, factiones avertendas, saltem licebit aliquando omittere quædam signa

gna

gna & notas effectus correptioni fraternæ proprii, q̄valia signa sunt, Publica deprecatio, Recantatio: *frater peccavi, pœnitet me, Remitte mihi Luc. XVII, 3.*

Tertiò: Nullius præcepti Dominici finis principalis negligi debet, ob non affecutionem, five non concomitantia, & amissionem finis minus principalis: At præcepti Dominici finis principalis est lucratio animæ fraternæ, Matth. XVIII, 15. minus principalis est popularis innotescencia publicorum signorum emendationis actu secutæ; Ergo, ubi emendationem fratris impetrare possum, non licet eum negligere ob pudorem Revocandi publicè.

Quarta ratio sumitur à pari. Quemadmodum reliquæ species satisfactionis Canonice aliquando remitti & omitti ab imponentibus possunt, ubi cum majore incommodo quàm commo- do publico, five Ecclesiæ exiguntur, & Realis emendatio, five ab- stinencia à pristino vitio habetur pro satisfactione: ita nihil ob- stat, ne & hæc species aliquando remittatur.

Quod de primo & secundo gradu correptionis fraternæ us- que adeò verum est, ut frater corripiens, & adhibiti testes, quin & ipse Sacerdos pœnitentiarius, si de emendatione peccati occulti, signa publica à fratre correpto petant vel statuunt; proditores potius futuri sint fratris corripiendi, quàm Correctores; Si, inquam, Notas emendationis in oculos vulgi incurrentes à fratre correpto, & abstinente à pristino peccato, flagitaverint.

De Tertio gradu correptionis fraternæ, five de effectu correptionis *Pastoralis*, non minus verum est, & in confesso apud omnes Casistas: (1) pro delicto occulto non licere sacerdoti, ut imponat publicam satisfactionem, præsertim talem, ex cujus qualitate delicti qualitas possit innotescere. (2) Neque pro delicto publico satisfactionem exigendam esse ab eo, de quo probabilis metus est, ut propter tædiũ hujus satisfactionis corrigatur ipse ap- se, & abstineat ab iteratione vel continuatione delicti; Aut v. ne- cùm sibi tùm aliis majori noxæ sit, nisi satisfactio remittatur, vel sanè differatur.

D d

Hoc

72
Pœnitentia-
riorum indis-
cretio,

Hoc intuitu reprehenditur indiscretio Pœnitentiariorum, injungentium satisfactiones, ve pœnitentias Sacramentales, de quibus probabiliter præsumere poterant, quod adimplendæ non sint à secreto confessis, sed irritaturæ potius pœnitentes ad aggravandum reatum. Itaque talibus jubentur Pœnitentarii injungere pœnitentias, non semper per modum præcepti, sed aliquando per modum consilii, ita, ut pœnitenti licitum sit, injunctam speciem, exequi vel non exequi; uti Navarrus Enchirid. cap. 8. n. 9. 10. seqq. & c. 26. n. 20. Conink de Sacramentis & Censuris Disp. X. de Satisfact. Dub. VIII. n. 60. 70. 73. Augustinus Barbosa in Remissionibus ad Concil. Trid. Sess. XIV. Cap. 8. ubi Concilium dicit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium qualitate, salutare & CONVENIENTES satisfactiones injungere, & c.* Aliique Casistæ docent.

Et reapse adeò confirmant & adstruunt, quod Concilium Tridentinum Sess. ead. Canon. XIII. ut invidiam doctrinæ Evangelicæ conflaret, inter abominandos hæreticorum errores posuit, iisque *Anathema* dixit, qui statuerent: *Optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam.* Si enim vocabulum *Optimam*, in comparatione ad satisfactiones vel spontè susceptas, vel à Sacerdote impositas, quibus Deo satisfieri adfirmant, sumitur, uti vi vocis sumendum est; Coguntur ipsi fateri, hanc satisfactionis speciem esse omnium optimam; quum reliquæ sint arbitrariæ, hæc necessaria ex necessitate præcepti divini, & ex naturâ sanctificationis.

74 A quibus tamen discedo, quoad alteram Assertionis suæ partem, nempe: *Teneri quidem judicem ad imponendam satisfactionem, ratione meritorum ac proportionis æquam, & quam putet iri præstitum à pœnitente: Verum, si præter opinionem judicis, confessus putet, hanc vel illam satisfactionem sibi esse ignominiosam aut intolerandam, tunc non posse obligari invitum, nec peccare l. thaliter, si non acceptet pœnitentiam suo judicio inconvenientem: uti ex Cajetano, Armilla, Medina, Sylvestro, Paludano, Navarro, Ludovico Bains, Paulo Comitino, Joanne Bebello, Ceneda, Rinaldo, Pinello, & aliis affirmavit d. l. Barbosa.*

Hac

Hac ratione enim omnia omninò signa veræ obedientiæ, vel saltem plæraquæ eludi contingat, cum per naturam nemo ad mortificationem carnis inclinetur; sed quisque putet, palinodiam commissi erroris, aut publicam pœnam flagitii sibi esse ignominiosam.

Consentit autem limitationi nostræ supra positæ jus Pontificium *de pœnitentiis & remissionibus*. Sic enim ad Episcopum Livonie, non ita pridem ad fidem Christianam reductæ, Innocent. III. Cap. Deus qui. 8: *Cum pœnitentia non tam secundum quantitatem excessus, quàm pœnitentis contritionem, per Discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda; pensatâ qualitate personarum, super fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus; consideratis circumstantiis omnibus, & præsertim novitate Livoniensis Ecclesiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire: Apostoli autem vestigiis inherentes dicentis: LAC VOBIS POTUM DEDI, NON ESCAM; paulatim eos instruatis in fide: Confessionis formam, Orationem Dominicam & Symbolum sollicitè eos edocentes. Interim tamen corporis & sanguinis Domini Sacramentum Renatis fonte Baptismatis, consuetis festivitatis, & in mortis articulo tribuatis.*

75
Palinodie
impositio ca-
dit sub arbi-
trium judicis

Antiquior Canon, quem Gratianus C. mensuram. 86. de pœnit. dist. I. Hieronymo tribuit, (Beatus Rhenanus ad Tertull. de pœnit. in Antiquo pœnitentiæ se eum legisse scribit:) quemque Concilium Metense Anno DCCCLIX. cap. 10. repetit, ait: *Canones ideò non præscribere mensuram pœnitentiæ pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, quomodo sit emendandum, ut magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis illud relinquendum statuant. Et hoc est, quod paulò ante ex Decretis Concilio Nicæno antiquioribus ostendebamus.*

76

Hac eadem de causa Gregorius M. in Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, cujus partem etiam Gratianus Decreto suo infarxit Can. finali Dist. IV. scribit: *Hesitare se, An Quadragesimale jejunium à die Dominica Quingagesimæ incipiendum sit, cum omnes Laici & seculares illâ die plus solito cæteris diebus, accuratius cibos carniæ appetant, & non nisi novâ quâdam aviditate se ingurgitent,*

77

D d 2

& c.

Et c. Unde, inquit, nec à tali consuetudine averti possint: Et ideò (addit) cū veniã suo ingenio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur.

78 Gregorio Magno ducentis penè annis prior Innocentius I., Augustini σύγχρονος, allegatã Epistola XCII. apud Augustinum, de Recantatione Pelagii & Cœlestii hæsiarcharum ait: Si damnent hæc, quæ hucusq; senserunt, & animum rectis disputationibus accommodantes veris se sanandos Consiliis tribuant atq; submittant; erit IN POTESTATE Pontificum, iis aliquatenus subvenire, & talibus curam præstare vulneribus, quam solet lapsis resipiscentibus Ecclesia non negare, & c.

79 An publica
anathemati-
zatio erroris,
de quo quis
suspectus est,
aliquando
possit remitti

Patet a. Canones hos loqui nō solūm de remittendã aliquando Cōfessione & Deprecatione publica vitiorū moraliū; sed disponere quoq; de remittendã aliquando publicã cōfessione, deprecatione & Recantatione heterodoxie & heterodidascalie, sive vitiorū in doctrinã & fide commissorum, sive ex errore, sive ex φιλονεικία, ambitione, odio, aliãve quacunq; malã radice ortum duxerint, dummodo de facto à continuatione & defensione erroris desistatur. Quamquam enim vetus Ecclesia etiam ad mentem ab errore liberandam, Anathema diei jusserit illi errori, à quo quis resipuit; neque sine anathematis jactu in hæresin illam, de qua suspectus vel convictus erat, regulariter quenquã in gratiam recipere siveverit, ut ex benè multis Antiquis Canonibus VII. & VIII. Concilii Laodicensi VI. & VIII. Concilii Arelatensis, ante Nicænam celebratorū, aliisq; apparet; Usq; adeò ut Quinta Synodus, quã Generalẽ vocant, Can. XI. etiam illi Anathema dicat, qui detrectaverit anathema dicere Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinari, Nestorio, Eutycheti, cum impiis illorū scriptis & omnibus aliis hæreticis; Eusebii quoq; Nicomediensis, & Theognidis Niceni dolus inde agnitus fuisse dicatur, quod fidei quidem Nicenæ subscribere parati erant, Ario autem Anathema dicere tergiversabantur, apud Rufinum l. I. Histor. C. 14. Etsi de facto tamen suis Ephoriis restituti sunt, pulsus orthodoxis, qui intereã surrogati erant, uti Socrates eodem loco commemoraverat; sed dolum postea detexerunt Cap. XXVII. quum Alexander ad similem

ii am.

i: ambiguum palinodiam, *Arium & Evzoiium* recipere detrectaret. Cujusmodi præjudicia de habitis & declaratis hæreticis iis, qui aliis hæreticis Anathema dicere recusabant, collegit *Nicol. Vedelius parte 2. Arcanorum Arminianismi lib. 1. cap. 2.*

Quamvis denique etiam exempla benè multa suppetant eorum, qui hæresin docuerant, ante publicam Recantationem & Anathematizationem erroris quem defenderant aut docuerant, in gratiam non receptorum: Qvalis erat exomologesis *Natalii*, postea Martyris, qui *Pauli Samosatani & Theodori Coriarii* hæresin docuerat, seqve hæreticorum Episcopum salario menstruo CL. denariorum constitui passus erat, apud *Euseb. l. V. cap. ult.* Qvalis erat exomologesis *Cerdonis* apud *Irenæum l. III. Cap. IV.* cujus paulò ante memini: Qvalis *Berengarii*, & aliorum, paulò ante pluribus exemplis à me inductorum;

Illi ipsi tamen Antiquissimi Canones, qui revertentibus ab hæresi *Palinodie onus* imponunt; uti qvalitatem, durationem, aliasqve circumstantias publicæ pœnitentiæ, arbitrio Episcopi committunt; ita & hanc satisfactionis speciem. Ut enim pseudocanones Apostolicos & Nicænos præteream, quibus hoc Sacerdotis arbitrium expressè firmatur; ille ipse *Quintus Canon Antiochianus*, qui de diversis gradibus Apostatarum, eorumqve diversis pœnis & satisfactionibus disponit, decennio ut putatur ante *Magnum Nicænum Concil.* editus, apud *Bin. fol. 227.* ait: *Episcopos tamen ἐξ ἑστίαν habere; & pro exploratâ conversatione singulorum, posse ἀνθρώπων ἕνεκα, i: humanius agere, vel etiam longius tempus pœnitentibus præscribere.*

Genuinus Canon *Nicænus XII.* postquam præcedentibus Canonibus de qvalitate & quantitate lapsorum sub *Licinio* dispo- fuerat, hoc Canone arbitrium committit Episcopo. *Ἐφ' ἅπασιν δὲ τῆς αἰῆτος, inquit, sed in his omnibus convenit explorare pro æresin & speciem pœnitentiæ: Quotquot enim metu & lacrymis, & patientiâ, & bonis operibus conversionem suam in re & nō in schemate ostendunt, hi ubi tempus τῆς ἀπεργασίης definitum impleverint, simpliciter ad precum communionem admittantur.* Et post hæc omnia licet Episcopo, etiam hu-

81
Subjacet ar-
bitrio Episco-
porum.

82

manius, (καὶ Φιλανθρωπότεροντι περὶ αὐτῶν βελέυσασθαι) *de ipsis statuere*, apud Bin. fol. 277. Concilium Arelatense secundum, Suro & Venetis consentibus, anno Christi CCCXXVI. celebratum, Canone X: *De his*, inquit, *qui in persecutione prævaticati sunt, si voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicena Synodus statuit (Can. XI.) ut V. annos inter Catechumenos exigant, & duos inter discommunicantes* (χωρὶς προσφωρῶς, ait Concil. Nicænum, κοινωήσασσι τῶ λαῶ τῶν προσευχῶν) *In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo errorem deslere, & pœnitentiam agere viderit, ad communionem pro Ecclesiasticâ humanitate suscipiat.*

83 Et hæc arbitrandi facultas, in seqq. etiam Conciliis, quoties de lapsorum reconciliatione agitur, tributa Episcopis reperitur. Unde apud Gratianum, vel unicâ illa *Quest. VII. Causa 1.* post aliquot discordantes Canones, de receptione redeuntium ab hæresi, recitantur sententiæ pro rationibus dubitandi discrepantes Cypriani, Septimæ Synodi, Meldensis Synodi, Leonis IV. & aliorum, quorum aliqui Clericos ab hæresi revertentes, *ad pacem quidem Laicorum*, ad gradus autem Clericatus, quos vel in Ecclesia habuerant, vel ex hæresi secum attulerant, nequaquam admittendos; Alii autem *ad utrumq;* reditum illis patere decernebant. Postea plures numero releguntur Canones, *cur in hac questione de Recipiendis hæreticis & recipiendi modo, toties variatum fuerit, alia decreta abrogata, alia temperata, alia constituta sint?* sicuti argumenta Canonum VI. VIII. XI. XII. XIII. XIV. XV. ostendunt.

84 Hoc autem XV. Canone recitatur Cyrilli Alexandrini, ὑπο-
Cyrilli Zelotæ *μνησικὸν ad Maximum Diaconum Antiochenum*, qui detrectabat
Consilium. communionem cum Joanne Episcopo suo, ideò quod Nestorianos ad communionem suam admitteret. Hunc corripit Cyrillus, Zelo etsi ingenti in Nestoriū æstuans: *Perpendat* (ait) *æquitas tua, utrum, qui cum Joanne communicant, nude & imprudenter Nestoriana & sentiant & proloquantur ad alios? An verò cauteriatam quondam conscientiam habentes, nunc congregentur vobiscum ex resipiscentia, pudeat verò ipsos palam profiteri lapsum? Solet enim hoc lapsis evenire. Si ergo videas eos nunc concurrere cum recta fide, de-*

me-

memento malorum praeitorum. Malim enim eos videre NEGANTES, quam defendentes Nestorii vitia. Ceterum, ne videamur contentionis cupidi; religiosissimi Joannis (Antiocheni) communionem amplectamur, indulgentes ei: Et οἰκονομίας ἐνεκα μὴ ἀκροβολογῆσαι σφόδρα de pœnitentibus. Magna enim moderatione indiget hoc negotium.

Canone seqq. XVI. citatur ejusdem Cyrilli Epistola ad Genadium Archimandritam, similis planè argumenti: Ne excandescat pietas tua in sanctissimum Dei cultorem, fratrem ac comministrum nostrum Proclum Episcopum, eò quòd admiserit in communionem Aelensium Hegumenon, quem quidem Ecclesiæ Palestinae leges non ferebant esse praepositum, &c. Igitur ne fugiat pietas tua Sanctissimi & Deo amicissimi Episcopi Procli communionem. Una enim fuit cura mihi & sanctitati ejus. Et DISPENSATIONIS modus nulli sapientum displicuit: οὐδὲ οἰκονομίας τρέπτει ἕνεκα τῶν συνετῶν ἀπήρσεν. Argumentum Epistolæ hujus in edit. Auberti fol. 191. sic habet: Περὶ τῆς δὲ πᾶρρησις τῆς ἀκροβείας, μείζονος ἕνεκα κατὰ θεοῦ. Initium verò Epistolæ h. m. Bonam intentionem (τὸ εὐτόνον) Tua Reverentia erga pietatem, non nunc demum cognovi, sed jam olim perspectã habeo atq; etiam laudo eam, quæ cum tanta ἀκροβεία vult vivere. At dispensationes rerum (ἀλλὰ αἱ οἰκονομίαι τῶν πραγμάτων) nonnunquam cogunt quosdam, ut parumper à debito exeant, aut potius deflectere cogantur: (ὅτε παραβιάζοντας βραχύ τι δέοντες ἔξω, ἵνα τὸ μείζον κερδαίνωσιν) ad majus quid lucrandum. Sicuti enim qui mare navigant, tempestate urgente navigantes, periclitante, quorundam jacturam faciunt, ut cætera servant: Ita & in nostris actionibus, quum non possimus τὴν λίσαν ἀκροβείαν ἀποσώζειν: summum rigorem servare, παρεργώμεν τινὰ, ἵνα μὴ ἅπαντος πάθωμεν ζημίαν: i. Dissimulam⁹ nonnulla, ne totum nobis excidat. Et tunc sequuntur verba à Gratiano descripta.

B. Augustinus d. Epist. XLIV. Ecclesiæ arbitrio adscribit, quod redouites à Paganismo, levius suscipiuntur: revertentes ab heresi amplius humiliantur.

Arbitrium autem hoc competit singulis Diœcesanis, apud quos

con- Arbitrium
ordinariorū.

Roma nõ ha- contractum est. Quod enim redeuntes ab hæresi, e. gr. *Valenti-*
bet clavem, nus & *Marcion* ideò Romam venerint, ut hîc & non alibi revoca-
universalem. rent, tanquam in foro competente & tribunali totius Orbis, *Bar-*
ronii commentum est *ad annum Christi 167. n. 5.* Neque citati *Ire-*
næus lib. 1. c. 28. sive l. III. c. 4. aut Tertullianus de præscript. c. 30. hoc di-
 cunt; sed, ut originem hæresium ostenderent, describunt: sub
 cuius *Episcopi Romani Regimine, hærestarchæ & docere ceperint, & Ro-*
mam venerint ad docendum, non ad abjurandam hæresin: Utrumqve
 enim detectâ hæresi ejectum ajunt, non dicunt: *Redeuntes ab hæ-*
resi, illic tanquam in foro totius orbis recantasse, aut in gratiam rece-
ptos. *Irenæi* verba sunt l. 3. 4: *Ante Valentinum non fuerunt, qui*
sunt à Valentino: Neq; ante Marcionem erant, qui sunt à Marcione:
Neq; omninò erant aliqui sensu maligni, quos supra enumeravimus, an-
tequam initiatores & inventores perverſitatis eorum fierent. *Valentini*
 enim Romam venit sub *Hygino, increvit sub Pio, & prorogavit tēpus*
usq; ad Anicetum. *Cerdon* autem qui ante *Marcionem, & hic sub Hy-*
gino, qui fuit octavus Episcopus, sæpè in Ecclesiam veniens & exomolo-
gesin faciens sic consummavit, modò quidè latenter docens, modo verò
ab aliquibus traductus in his quæ docebat malè, & abstentus est à reli-
giosorum hominum conventu. *Marcion* autem illi succedens invaluit
 sub *Aniceto, decimum locum Episcopatus continente.*

Hîc de Valentini & Marcionis Recantatione ne µv̄ audis.

88 Quod autem *Cerdon* Romæ aliquando exomologesin fecit, propterea
 æqvum erat, ut fieret, quia per heterodoxam doctrinam Ecclesiam il-
 lam scandalizaverat, *Irenæo* teste l. 1. c. 28. *Cerdon, inquit, à Simone*
occasionem capiens, cum venisset Romam sub hoc Hygino, qui nonum lo-
cum Episcopatus (Nota: l. 3. c. 4. octavum dicit) per successionem ab
Apostolis habuit, docuit: Eum qui à lege & Prophetis annunciatus sit
Deus, non esse Patrem Domini nostri Christi Jesu.

89 De Valentini & Marcionis Recantatione in Romana Eccle-
 sia neque *Tertullianus* verbum facit, etsi æqvum fuisset illic revo-
 cari, quæ illic sparsa de hæresi fuerant: sed, uti *Irenæus*, ita & *Ter-*
tullianus ex nuperis & notissimis natalibus Sectariorum, Sectarū falsi-
tatem evincere conatur, Ubi tunc, ait, Martion, Ponticus Nauclerus,
 Stoicæ

Sæuice Studiosus? Ubi tunc Valentinus, Platonicæ Sectator? Nam constat, illos neq; adeò olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholica primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti (hæc Romanensium gloria est, quod plæræq; hæreses in Ecclesia illa originem habuere) ob inquietam semper eorum curiositatem, quæ fratres quosq; vitiabant, semel & iterum eieci; Marcion quidem, cum ducentis sestertiis suis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in PERPETUUM DISSIDIUM relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quosq;, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est; oportebat enim hæreses esse, &c. Vides, Marcionem in gratiam receptum non esse, quia conditionem, sub qua pacem recepturus erat, morte præventus, non adimplevit. Ac, si quidem impleisset, Romæq; pacem recepisset, nihil hoc pro totius Oecumenici tribunali erat facturum: siquidem illic pacem quemque petere oportebat, ubi scandalum dederat.

Marcionem verò Ponticum, Episcopi filium, jam ante, quàm Romam venisset, ob stuprū Virgini illatum ab Ecclesiæ communionem abjectum fuisse, clarissime Epiphanius perhibet *hæc. XLII.* idemq; Tertullianus docet *Cap. LI. de præscript.* Et libro *de carne Christi*, ex ipsius Marcionis Epistolâ hoc demonstrat: *Patrem, Marcionis noluisse filium in gratiam recipere, ideoq; Marcionem confugisse Romam, ut facilius illic reconciliationem obtineret. Sed Epiphanius l. d. ait: quòd Presbyteri & Dd. Romana Ecclesiæ, Hygino mortuo, Marcioni receptionem petenti responderint: Nobis injussu venerandi patris Tui id facere non licet: Una siquidem fides est & una animorum consensio: neq; possumus refragari optimo comministro nostro, Patri tuo. Hinc Marcionem irâ furoreq; & ambitione percitum, novam sibi hæresin constandam proposuisse (εαυτῶ τὴν αἵρεσιν προσηστάμεν) & palam Presbyteris Romanis in faciem dixisse: Ὅτι ἐγὼ χίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ χίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα: i: Nunc ego divellam Ecclesiam vestram, & in æternū schisma eam conjiciam, addit Epiphanius: Quem admodum revera schis-*

ma non exiguum intulit non Ecclesie quidem, sed sibi suisq; Complicibus. Hæresin verò Marcionis ex Italia egressam, ait init. c.9. Hæreseologias.

91 Et quis nescit *Valentinum, Cerdonem, Marcionem* hodieq; in Catalogo hæreticorum non reconciliatorum poni, & ab Eusebio lib. IV. Cap. 10. 11. & ab omnibus Hæreseologis antiquis, *Philastrio, Epiphano, Augustino*, aliisque pro irreconciliatis haberi? At *Baronius* in quovis Sterquilinio Monarchiam Romanam quærit.

92 Patet ex his: Hæresiarchas quidem, Dogmatistas, sive Doctores & Propagatores hæreseos, citra publicam Palinodiam receptos in pacem & sinum Ecclesie non fuisse: Verùm de credentibus hæreticorum sive sequacibus eorum priscam Ecclesiam, & modernam Romanam curiam longè diversum statuisse. *Innocentius PP. III.* in Concilio Lateranensi, quod Generale vocant, seculo XIII. post Christum, definiuit Cap. 3. quod extat in Decretalibus Gregorii IX. c. *Excommunicamus. 13. de Hæreticis*, ut: *si qui sint suspecti solum de hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitateq; personæ, innocentiam suam per juramentum purgationis monstraverint, protinus anathematis gladio feriantur, & usq; ad satisfactionem condignam, ab omnibus evitentur, ita, quod si per annum in excommunicatione persiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur; & damnati secularibus potestatibus ad vivicomburium tradantur, tam Laici quàm Clerici.*

93 De Abjuratione multa *Nicol. Enymericus* Directorii parte 3. *Abjuratio hæ* q. 105. & *Simanca* Justit. pro judicibus tit. LIII. tum etiam *Cano-* reseo vide *f.* nistæ in allegatam formulam jurisjurandi *C. Quoties 1. q. 7.* Formula abjurandi ab *Innocentio III.* præscripta, extat *Tom III. Concil. Bini parte 2. fol. 714. 715.* ubi de credentibus hæreticorum quos vocant.

94 At si priscae Ecclesie mansuetudinem & moderationem intuemur; asperitas certè & rigor in suspendendis aut planè arcendis à sacrâ communione iis, qui ipsa etiam Dæmoniorum sacra, tormentorum metu; aut hæreticorum cœtus sectati fuerant, dummodo Duces non fuissent, si cum Ecclesia in gratiam redire

cu-

cuperent, in Præfectis non usq̄ve adeò laudata fuit.

Eusebius Cesariensis, quum Martyrum Viennensium & Lugdunensium in Gallia, sub Imp. Antonino Vero, circa annum Christi CLX. dira passorum Relationem Epistolarem ad fratres in Asia & Phrygia, eandem redemptionis fidem & spem habentes, recensisset lib. V. Cap. 2. describit modum, quo Deo dilecti martyres, eos, qui in persecutione lapsi erant, suscipiendo restituerint, eorundem Martyrum Epistola: Omnibus, inquit, fidei suæ rationem reddiderunt, accusarunt neminem, solverunt cunctos, nullum ligarunt. Neq̄ enim insolescebant contra lapsos, sed quibus ipsi abundabant, inde & egentibus abministrabant, maternis erga eos visceribus præditi: ac plurimum illorum nomine ad Deum Patrem illacrymantes, vitam petierunt, & dedit eis, quam etiam proximis communicarunt. Atq̄ ita per omnia victores ad Deum abierunt, pacemq̄ dilexerunt ipsi, & eandem nobis denunciantes, cum pace ad Deum discesserunt, nullam relinquentes post se Matri molestiam, nec seditionem, aut bellum fratribus, sed gaudia & pacem & concordiam & dilectionem.

95
Exempla susceptorum penitentium, citra publicam Palinodiam.

Addit Eusebius epicrisin de suo: *Hæc, inquit, de amore Sanctorum illorum Martyrum erga prolapsos fratres, haut inutiliter adjecta sunt, ad notandos inhumanos & immisericordes eorum animos, qui post hujusmodi exempla, atrociter membra Christi diræxant.*

96
Eusebii Epicrisis.

Idem Eusebius sub finem Tertii de vitâ Constantini, quando de Hæreticorum Delubris jussu Imperatoris everfis dixerat; etiam de aliquorum ad Ecclesiam reditu his verbis testatur: *Illorum verò, qui ab His seducti fuerant, quidam mente adulterinâ, minis Imperatoris pertremefacti Ecclesiam ingrediebantur, tempori illi per dissimulationem servientes. Quoniam libros etiam illorum virorum lex Imperatoris perscrutari jusserat, ac deprehendebantur qui nefanda maleficia exercebant; Quapropter cuncta per dissimulationem faciebant, quo exitiam effugerent: alii autem continuo veraci animo ad spem meliorem confugiebant. Horum verò discriminationem Ecclesiarum præfides accuratè facientes, alios diu pelle ovillâ rectos fidè accedere conantes invenerunt: alios verò mundo animo id facientes modico*

97
Discretio probandi hypocritas.

TEMPORE PROBARUNT, ac post sufficientem experientiam multitudini initiatorum accensuerunt.

98
Etiam Cypri-
anus coetaneis
suis aspe-
rior visus.

Quamquam igitur Cypriani, aliorumque Zelo & prudentia, de lapsis, non nisi post longa intervalla, post mortificationes & probationes constantia recipiendis, laus sua non derogetur; apparet tamen ex illis ipsis Cypriani Epistolis & sermonibus, de lente & tarde recipiendis lapsis quaeque versum scriptis; Ipsum Romanum Episcopum Cornelium, aliosque Cypriani Commiistros, etiam in ipsa Carthaginensi diocesi, recepisse aliquos eorum, invito Cypriano. De hoc enim conqueritur in illis ipsis Epistolis, quod pacem nimis propere dedissent lapsis. Et negari non potest: Novatianos, Donatistas aliosque Catharos, non leve negotium faccessivisse Orthodoxis Episcopis, objectione suffragiorum Cypriani de non recipiendis lapsis citra Anabaptismum, aliorumque ingentium onerum exantlationem, cujus molestiae radio plurimos deterritos, aut in haeresi periisse, aut ad haeresin rediisse probabile est.

99
Cypriani modestia.

Neque tamen Cyprianus ullum eorum, quos Cornelius Romanus, aut Collega Afri, citra publicam Palinodiam in communionem receperant, suam communionem exclusit, quin potius toleravit eosdem in sua etiam communionem: Solummodo oravit, ne festinantur Cornelius, & Africani Collega in recipiendis citra justam probationem lapsis. Ipsos lapsos & receptos excusat Epist. X: (al. l. 3. epist. 14) Illi, inquit, Rei non sunt, qui minus Scripturae legem noverunt; Erunt autem Rei qui praesunt, & haec fratribus non suggerunt, ut instructi a praepositis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo, & praescripta observatione. Quod etiam Augustinus l. 2. & 3. contra Parmenianum aliquoties in Cypriano laudat; Tametsi aliquos nimis propere in Ecclesiae gremium receptos fuisse quiritur; ab eis tamen neque se neque suos segregaverit, neque propterea schisma fecerit, quale Donatus, ob non ejectum Cecilianum fecerat, Zeloque Cypriani usque & usque se tuebatur.

100
Prudentia.

Salubriter tamen & prudenter monet Cyprianus eos se loco, quemadmodum obnoxios vitiis morum, non citra ordinem & timo-

mo-

morem aliquem recipimus in communionem Ecclesiæ, Ita multo minus eos, qui in vitia doctrinæ aut confessionis lapsi erant, citra doloris publica signa recipiendos esse. Nam, cum in minoribus (inquit) peccatis, agant peccatores pœnitentiam JUSTO TEMPORE, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per impositionem manus Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant; Nunc erudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistiâ illis datur! Cum scriptum sit, qui ederit Panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, Hæc Cyprianus,

De iis etiam Episcopis, qui Arianam, Macedonianam, aliasque hæreses ipsi quidem non docuerant; Arianæ tamen fidei formulis, decretis, Epistolis encyclicis, aliisque libellis, sub quibus latitabat hæresis, imprudentes, vel etiam publicæ tranquillitatis causâ scientes subscripserant, in externa autem communione cum Orthodoxis manserant; Interea verò in Elencho Hæresiarum & hæresium remissiores fuerant, inter quos etiam Gregorii Nazianzeni pater, & filius ipse, & Magnus ipse Basilius, aliique innumeri per orbem Episcopi reperti sunt: legere licebit B. Hieronymi Dialogum adversus Luciferianos, Basili Epistolam XXVI. ad Greg. Nazianzenum. Ipsi Nazianz. Orationes XXVI. & XXVIII. Augustini lib III. contra Epistolam Parmen. c. 1. 2, seqq. aliosque.

101
Discrimen
inter Hæresi-
archas, & suf-
fragantes
soli toleran-
tiæ.

A nullo sanè horum publicam palinodiam exactam fuisse, apud omnes constat; & postea, ubi ad Excommunicationem deventum fuerit, sigillatim ostendetur. Et si de Basilio scribat Nazianz. d. ep: Convivium celebrabatur, cui non pauci Illustres Viri intererant, nobisque amicitia conjuncti: atque inter eos Vir quidam pietatis nomen habitumque præ se ferens. Nondum computari captus erat, quum, ut in convivis accidere solet, de Nobis (Basilio & Gregorio) sermo excitatur, instar alius cujusdam incidentis rei in mediū propositus.

102
Basilus &
Nazianz. col-
lusionis cum
hereticis po-
sulantur,

Ee 3

Omni-

Omnibus porrò Virtutes Tuas magnificè prædicantibus, Nosq; etiam, ut
 ejusdem vitæ studiis deditos adjungentibus: amicitiamq; nostram &
 Athenas commemorantibus, in rebusq; omnibus concordiam, animorum,
 que nostrorum co-nspirationem laudantibus; grave quoddam facinus
 hic Philosophus designat. Quid hoc, inquit, admodum furiosè excla-
 mans, ô Viri? Quam vos insigniter mendaces & assentatores estis?
 Cetera quidem laudentur Viri isti, si ita lubet, nec ipse contradico; At
 verò, quod maximum est, illic non concedo. ORTHOXIÆ nomine
 frustra laudatur Basilius, frustra Gregorius. Ille, quia veritatem
 se is disputationibus prodit: Hic, quia tolerantia suâ proditionis socium
 se præbet. Tum ego: Unde hoc ô homo vane, atq; amentia nove
 Dathan & Abiron habes? Unde nobis dogmatum promulgator venis?
 quomodo tantarum rerum judicem TE constituere audes? Tum ille: Ex
 Euphychii Martyris Synodo nunc venio (de Euphychio interempto à
 Juliano Apostata, quòd Fortunæ templum evertisset, Sozom. lib. V.
 cap. II) Eamq; dicti mei Testem habeo. (addit Gregorius: Sic enim
 res se habebat) atq; illic Basilium Magnum audiui, de Patre quidem
 & Filio optimè ac præstantissimè differentem; Spiritum Sanctum au-
 tem convellentem ac disjicientem. Et cur tandem, Vir egregie, inquit
 me intuens, Tu quidem JAM per spicuis verbis Spiritum Sanctum Deum
 esse doces; Basilius autem fidei doctrinam obscure subindicat, ac velut
 adumbrat, nec veritatem apertè profitetur, oratoriè magis quàm piè
 Auditorum aures implens; dicendiq; arte subdolum animi consiliū te-
 gens? Quoniam, respōdeo, Ego in obscuro positus, ac plerisq; incognitus,
 ita, ut quæ loquar quæ non loquar, homines ferme nesciant, tutò philoso-
 phor: Basilius autem major habet ut ratio, utpote & à seipso celebrioris,
 & ab Ecclesia, in qua docet: Tum etiam, quia omne quod dicit in publi-
 co hominum cætu dicit, graviq; hæreticorum bello urgetur, insidiantium
 verbis ejus, ut nudam vocem (de Deitate Spiritus Sancti) elicere que-
 ant; Illog; qui solus ferme reliquus est veritatis fomes, vicinis omni-
 bus captis & subjugatis, ex Ecclesia ejecto & exturbato, malum illud
 (Macedonianorum:) in civitate radices agat, atq; ab hac Ecclesia
 (Cæsariensi) non secus atq; ex aggere quodam & propugnaculo Terra-
 rum orbem pervastet & populetur. Præstare itaq; veritatis doctri-
 nam

nam

*nam CAUTIUS ALIQVANTO minusq; liberè profiteri, TEMPO-
RISQVE quasi nebulae cuidam cedere, quàm illam APERTA PRÆ-
DICATIONE opprimere. Nos enim ex ea re nihil à amni facere,
sicut aliis quoq; dictionibus, è quibus id certò colligatur, Spiritum Sanctum
Deum agnoscamus. Neq; enim in verborum sono potius, quàm in
mente est sententia veritatem sitam esse. Ecclesiam autem grave de-
trimentum accepturam, si unius hominis (Basili) oppressione veritas
profligetur.*

Hanc excusationem dissimulatæ apertæ confessionis de¹⁰³
Deitate Spiritus Sancti, uti laudanda sanè non erat, ita explosam
fuisse ab omnibus Orthodoxis convivis, seqve angustiam animi oc-
cupatum, & quòd extemplo nihil aliud inveniret, Basilium hoc
modo excusasse, Nazianzenus ipse ingenuè fatetur, quando
illicò subjicit:

*Hoc consilium ii qui aderant, tanquam Vanum & frigidum, ipsos-
que ludificans non modò non comprobabant, sed etiam Nos clamoribus
insectabantur, tanquam ignaviae potius nostræ, quàm Orthodoxæ doctri-
næ consulamus. Longè enim præstantius esse, Nostros per veritatis præ-
dicationem tueri atq; conservare; quàm hujusmodi CAUTIONE &
DISPENSATIONE eos ἀχρηστῶν (inutiles, impotentes ad fidei suæ
rationem reddendam facere) neq; interim alienos lucrari.*

*Ceterum, quæ & dixi & audi: & quàm immodicè, & præter
mores meos adversus eos, qui contra nitebantur, sim stomachatus, sigil-
latim exponere prolixum nunc fuerit, minimeq; fortasse necessarium.*

*Tu verò divine Vir & sacrosancte, facito, ut nos doceas: QVO-
USQVE in disputatione de Spiritus Sancti divinitate progredi, quasq;
voces usurpare, & quousq; CAUTIONE, CERTAQUE DISPEN-
SATIONE uti debeamus? ut illa adversos eos, qui contradicunt, in-
promptu habeamus. Nam si hoc ipse quidem nunc demùm abs TE
doceri postularerem, cum TE resq; tuas omnium Mortalium maxime
perspectas habeam, ac certissimam de his rebus fidem sæpius dederim
vicissimq; acceperim; omnium profectò stolidissimus essem ac miser-
rimus.*

Ad hanc contumeliam sequente Epistola Basilius sic respō.¹⁰⁴
det,

det, ut nihil respondeat: Differt enim responsum ad mutuum usque congressum. *Mirum, inquit, & absurdum, quod ille recens Christianorum Ephorus apud Vos harum rerum auditores invenit, fratres mihi sincerissimos: nec auditores solum, sed discipulos quoque, ut videtur.* Quamquam verò alioqui novum non esset aut mirandum, & eum qui hæc docet, talem esse, & tales, qui eum audire sustinent, & mendicem, cuius nomen proscinditur; Perditus tamen hic temporis status nos docuit, ne ullà re acerbius offendamur. Jam pridem enim his ignominiosiora nobis propter peccata nostra in usu fuerunt. Ego verò si fratribus, qui illic degunt (Nazianzi) meæ erga Deum fidei nondum experimentum præbui, ne nunc quidem habeo quod respondeam. Tu verò hos valere sine, nosque in presenti certamine laborantes adjuva &c. Quod si contigerit, res ipsæ declarabunt, quis sit ille qui TE ad præclara negocia sequetur: quis rursus CLAUDICET, & veritatis doctrinam ignaviâ prodat? Hæc multò post, Dei gratiâ, ipso rerum argumento ac demonstratione calumnia refellentur. Quandoquidem pro veræ doctrine defensione futurum exspectamus, fortasse quidem ut gravius aliquid patiamur: sin minus, at illud certè, ut Ecclesiis patriisque sedibus expellamur. Quod si nihil etiam illorum, quæ in expectatione habemus, acciderit, non procul est Christi tribunal. Quocirca si congressionem nostram Ecclesiarum causâ requiris, convenire parati sumus, ubicumque accersiveris; Si autem ut calumnias refutem; **MIHI HOC TEMPORE, DE HIS RESPONDERE NON VACAT.**

Hæc declinatoriâ Responsione, cum Basilius interrogatis
105 minimè fecisset satis, Gregorius evestigio replicat epist. XXVII. Græc. XXI: Hoc nimirum erat, quod alius quispiam majori acumine præditus suspicari potuisset; Ego verò, quia sum stulticia & rusticitate, cum ad TE scriberem, non extimui, &c. Tu merorem pudore velut larvâ quadam obtegis, &c. Quamquam satius fuerat his incommodis mederi, quàm eis qui consilium afferebant, succensere. Sed Tu, quid Tibi faciendum sit, ipse videris.

Hieronimus certè tanquam indiscretos Zelotas ridet eos,
106 qui putabât: Tempore grassantis Arianismi, eos qui quovis modo in suspicionem illius hæresis venerant, siye ad Palinodiam co-

gen.

gandos, sive ejiciendos sedibus suis, sive greges ab iis segregandos fuisse. Hæc omnia tanquam extremæ imprudentiæ deliria exagitat, totamqve Ecclesiam hoc intempestivo rigore dissipatam iri *Hieronimi* ostendit. Ingemuit, ait, totus Orbis, & Arianum se esse miratus est. Igitur alii intra suam communionem remanere, alii ad eos Confessores qui sub nomine Athanasii exulabant, ceperunt literas mittere: nonnulli innitam societatem (cum Arianis) meliorum desperatione planxerunt: pauci verò, ut se natura hominum habet, errorem pro consilio defensavere &c. Concurrerant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia heretici ferebantur, contestantes corpus Domini, & quicquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Puravimus, ajebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferrî timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati, Sacerdotes Christi contra Christum pugnare: multaq; alia, quæ brevitatis studio prætereo, stentes asserebant, parati & SUBSCRIPTIONEM PRISTINAM, & omnes Arianorum blasphemias condemnare. Hoc loco interrogo istos nimium religiosos, quid de Confessoribus agendum putaverint? Depositis inqviert, veteribus Episcopis, novos ordinassent: Tentatum est; sed quotusquisq; benè sibi conscius, patitur se deponi? præsertim, cum omnes populi sacerdotes suos diligentes, penè ad lapides, & ad interemptionem deponentium eos convolverint. Mansissent, ajunt, intra suam communionem! Hoc est dicere: irrationabili crudelitate Orbem totum Diabolo condonassent, (videlicet, si ab iis se separarent, qui promiscuè cum occultis Arianis communicabant) Cur damnassent eos, qui Arianis non erant? cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem? cur deniq; credentes benè, obstinatione suâ facerent Arianos? Nam cum in Synodo Nicæna, quæ propter Arianam perfidiam congregata est, OCTO Episcopos Arianos susceptos sciamus (inter quos Euseb. Nicomed. Theognis Nicænus, Saras Libicus, Eusebius Cæsariensis, qui omnes per solâ subscriptionem fidei Nicænæ recepti sunt) quomodo potuerunt adversum eam Synodum facere, propter quam exilium sustinerunt?

Hieronymi
Zelote judi-
cium.

Paulò post: Igitur, cum illo tempore Trecenti & amplius E-
piscopi paucos homines, quos sine damno Ecclesiae abjicere po-
terant, susceperint; MIROR, quosdam, & certè Nicænae fidei Se-
clatores TANTÆ DURITIÆ existere, ut Tres Confessores ab
” exilio revertentes, non putet id OB TOTIUS ORBIS SALU-
” TEM, necessitate facere debuisse, quod Tot & tales Viri volunta-
te fecerunt. Sed, (ut dicere ceperamus) post reditum Confesso-
” rum (Athanasii, Hilarii & Eusebii Vercellensis) in Alexandrinâ
postea Synodo constitutum est, ut, exceptis Actoribus hæreseos,
” quos Error excusare non poterat, poenitentes Ecclesiae sociaren-
” tur. Non, quod Episcopi possint esse, qui hæretici fuerant; sed,
” quod constaret, eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse. Af-
” sensus est huic sententiæ Occidens, & per tam NECESSARIUM
” CONSILIUM Satanæ faucibus Mundus ereptus est.

Basilii judi-
cium.

Basilii Epist. XXCVI. excusat se Bosphorio Celoniae in
108 Cappadocia Episcopo (ad quem etiam Gregorii Nazianz. Episto-
la XIV. scripta est) quòd Dianæum, Orthodoxum Episcopum,
etsi formulam fidei quam Gregorius Cappadox Arianorum hæ-
” resiarcha Constantinopolis attulerat, pacis causa subscripsisset,
non excommunicaverit. Qui novam hanc, inquit, intentatæ no-
” bis calumniæ fabulam composuerunt, videntur nullam prorsus
” Deo habere fidem, qui rationem Nobis in die iudicii, de quovis
” verbo ocioso reddendam esse pronunciavit. Ego verò, dic quæ-
” so, Beatissimum Dianæum anathematizavi? (Hoc enim de nobis
” accusandi gratiâ prædicaverunt) Ubi? aut quando? Coram qui-
” bus? Quo prætextu? An nudis verbis vel scripto? An alios se-
” cutus, vel ex mea ipsius autoritate & audacia primus illud tenta-
” vi? O impudentiam hominum nihil non temere loquentium!
” &c. Et postquam impense laudasset pietatem, modestiam, gravi-
tatem hujus Viri, addit: Circa extrema quidem vitæ illius tem-
” pora (neque enim celabo veritatem) intolerabili mœrore pro-
” pter ipsum, cum aliis plurimis, in patria Dominum timentibus af-
” ficiebar, propterea, quod FIDEI ILLI, quam ex Constantinopoli
” reportaverant, qui ad Georgium pertinebant, subscripserat. Ut
”

ve-

verò erat ingenio mansueto & humano, omnibus ita satisfacie-
 bat, ut eos paterno affectu toleraret. Ubi verò decidit in ægro-
 tationem, ex qua & mortuus est, convocatis nobis dicebat: Te-
 stem esse Dominum, quòd simplici corde in scriptum Constan-
 tinopolitanum consenserit quidem; verùm nullâ in re irritam
 voluerit eam fidem, quæ Nicææ à Sanctis Patribus exposita est:
 neque aliud in corde habuerit, quàm quòd ab initio traditum ac-
 cepisset. Imò precari se quoque, ut non separaretur à sorte bea-
 torum illorum Episcoporum Trecentorum decem & octo, qui
 piam illam fidei prædicationem promulgaverant Orbi. Atque
 istâ satisfactione nos ita permovit, ut solutâ omni cordium no-
 strorum hæsitazione, AD COMMUNIONEM ILLIUS acces-
 serimus, & à concepto mœrore quieverimus. *Hæc Basilus.*

Eundem Basilium amicitiam & fraternitatem coluisse cum
Meletio Sebasteno Episcopo, surrogato in locum *Eustathii Ortho-*
doxi, ab *Acacianis*, sive *Arrianis*, *Constantinopoli* & *Seleuciæ* con-
 gregatis, qui consubstantialis sive *ὁμοούσιος* vocem abolendam;
 & *ὁμοιούσιος* sive similis substantiæ vocem, secundum scripturas (ut
 agebant) retinendam statuerant: nec non cum *Athanasio Ancyra-*
no, ab iisdem *Arrianis* surrogato in locum *Basilii Ancyrani*: patet
 ex Epistolis *LVI. LVII. LVIII. LIX.* ad *Meletium* scriptis, quarum
 posteriore indignatur *Meletio*, quod *levi ac futili Apollinario* quæ-
 dam revelasset, ob quæ *Basilus* traducebatur ap. *Cives Sebastinos*,
 tanquam cum *Arianis* & *Sabellianis* faceret; Namque hac fini vo-
 lumen aliquod circumlatum fuisse *Sebastæ. Basilio* Autori inscri-
 ptum, quasi eadem cum *Hereticis* dicat. Hoc eodem nomine *Basilium*
 in convivio à *Philosopho* quodam traductum, à se verò defensum
 fuisse, *Nazianzenum* commemoratè audivimus *Epist. XXVI.* ad
Basil. & *Basilium* utcumque se purgantem num. 104.

Purgat se ab eadem suspicione in *Apologia ad Cæsarianos*, Pa-
 rochianos suos, quos ad tempus deseruerat, quæ extat inter *Epi-*
stolas Basilii num. *CXLI.* Patet idem ex *Epist. LXVII.* quæ est con-
 solatoria ad *Ecclesiam Ancyranam*, de obitu *Athanasii Episcopi*, quem
 etsi ab *Arianis* ordinatum, fugato *Basilio*, *Orthodoxo Episcopo*,

tanquam in quieto, id est, machinas Arianas detegente & coercente: vocat columnam & stabilimentum Ecclesie: Os, quod hætenus, & competente fiducia & sermonibus gratia ad fraternitatis edificationem scaturivit, &c.

111
Baronii error.

Qui consensus Basilii & Meletii Cæs. Baronium induxit, ut more suo pronunciet; Episcopos hos, Meletium & Athanasium, ex Arianis redditos esse Orthodoxos. ad Ann. CCCLIX. sub fin. At verò, si Socrati lib. I. cap. 6. Si ipsius Synodi Nicænae iudicio, quo depositus est Meletius, apud eundem ibid. cap. 9. & lib. III. cap. 6. & 7. Si Theodoreto lib. III. cap. 5. Si Ruffino lib. I. cap. 30. Si Sozomeno lib. V. c. 13. Si denique Epiphano, hæresi LXVIII. habenda est fides potius, quam Baronio; Meletius Sebastæ primùm, postea Boeroce, denique Antiochena Ecclesie Episcopus, ut ex Socrate l. II. c. 43. patet, dogmati Ariano nunquam fuit deditus. Sectam fecit, ait Epiphanius, à fide non discessit. Depositus autem fuit, quòd persecutionis vehementiâ fractus idolis sacrificasset, ut expressè habet Socrates l. I. c. 6. & Epiphanius hæresi LXVIII.

112

Causam Arii fovit, non quoad dogma, sed quoad processum nimis rigidè ab Alexandro institutum, quod & Nicomediensis Eusebius & Theognis Nicænus causabantur: qui & ipsi inficiabantur, se dogmati Arii unquam fuisse ad stipulatos, ibid. Cap. 14. Synodus verò Nicæna ideò reddere Ephoriam Meletio detrectabat, quod ad tumultus excitandos pronus esset, ne qua potestas homini daretur (ait Socrates) quâ tumultuationem suam denuò inducere possit. c. 9.

113
Schisma Meletii.

Schisma autem fecit, quòd Lucifer Calaritanus præter juris & prudentiæ leges Paulinum Antiochiæ ordinaret, ejecto è sede illâ Meletio. Quæ præcipitantia invidiam quoque peperit inter Eusebiû Vercellensem Orthodoxum Episcopum, & Luciferum, qui uterque æquè ac Meletius sub Diocletiano & Maximiano plagas sustinuerant, & pro fide Nicæna exilium subierant. Quin & Lucifer ipse postea in Schisma lapsus est, unde Luciferiani. Quamquam Ambrosius in Oratione funebri Satyri fratris, & Hieronymus in Dialogo

logo.

logo adversus Luciferianos, ab hærese eum absolvant, schismatis ex φιλονεικία nati solum postulent. Basilus etiam durante hoc inter Paulinum & Meletium Antiochenos Episcopos schismate, Meletii partes palam fuerit tuitus. Quod non faceret, si hæreseos Arianae causa Meletius accusaretur.

Hic ipse Meletius *Epist. LXIX. inter Epp. Basilii*, una cum Basilio & Eusebio monet Italos & Gallos, ut ab Arianorum communione sibi caveant. Cum hoc ipso Meletio deliberabat Basilus *Epist. 59: Annon conveniret admonere occidentales: Ne sine discrimine quorumvis ex Oriente venientium communionem acceptaret?*

Quod etiam Basilus *M. Antiochenam* sedem totam Meletio adjudicandam censuerit, non Paulino; patet ex *Basilii epist. L.* quam *Magno Athanasio* inscripsit, ipsiusque negotii cum Athanasio tractandi causâ, Theodorum Diaconum misit. Erant enim illâ ætate, id est: Anno Christi CCCLXXI. in una civitate Antiochena Quatuor Episcopi: Duo hæterodoxi, & Bini Orthodoxi: *Euzoius* Arianus, *Vitalis* Apollinarista, ut credebatur, *Meletius* & *Paulinus* orthodoxi, sed schismate ob quæstionem de legitima vocatione divisi. Quod *Baronius* etiam observavit fol. 237.

Dianæum autem, vel *Meletium*, vel etiam *Athanasium Ancyranum* publicè revocasse, aut ad Revocationem coactos fuisse, non invenio.

Patrem suum Gregorium Nazianzenum excusat *Gregorius filius* in *Oratione funebri*, quæ est *XXVIII. ad Billium*, & *Orat. 1. de Pace*, quæ ex ordine octava, apud eundem; Quod eidem *Formula fidei Constantinopolitanae Acacianorum & Georgianorum*, quâ ὁμοῦσι & ὁμοισι surrogatus erat, subscripsisset, non animo negandi Filium ὁμοῦσιον, sed pacis causâ à solo illo vocabulo abstinendi. Quo tempore (inquit) à ferventiore Ecclesie parte (id est Monachis, ad quos *Orationes de pace* habuit) ob eam causam seditio in nos excitata est, quod literis quibusdam, subdolisque verbis in pravam societatem furtim pertracti fuiffemus: Solus (pater meus) illa sum cor habere, nec animam *SIMUL CUM ATRAMENTO* sedasse nigroreque affecisse creditus est: tamen si per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolusque homo doli expers minimè vitavisset.

114

115

Quatuor Episcopi in una civitate.

116

117

Nazianzenus senior Symbolo Ariano subscripsit.

Quin

Quin etiam solus aut certe primus eos, qui à nobis ob pietatis Zelum, dissidebant, & sibi & ceteris reconciliavit, postremos à nobis separatos, & primos reversos: tum ob ipsius reverentiam, tum ob dogmatis puritatem. Itaque gravis Ecclesie, aetatio tempestas, sedata est, ac procella in auram redacta, orationibus consiliisque illius fracta atque sublata; nobis interim & pietatis sociis & actionis.

118
Ex nimio veritatis amore sunt aliquando subiecta.

Sic Grat. 1. pro pace: Nimis Dei, nimis Christi amantes Christum ipsum dividebamus, veritatis causa nosmet mutuo mendaciis onerabamus: propter charitatem odium exercebamus; propter lapidem illum angularem distrabebamur, &c. Nunc vero, postquam unum facti sumus qui sumus unus; postquam conjuncti nomine & animis aequales sumus facti, qui Trinitatis sumus; non contra nosmet mutuo, sed conjuncti fervemus, &c.

De publica palinodia ab hoc Gregorio & Sociis, qui Arianae Fidei formulae sine fraude subscripserant, exacta, nihil lego. Sufficiebat aperta Declaratio, quia manserat in Communione visibili cum Ecclesia.

Baronii intervalla.

119 Cardinalis autem asperrimus ille haeresium censor, ad Ann. CCCLIX. fol. 657. Ubi lapsum Gregorii Senioris commemoraverat. His addidit illud (inquit) Optimos interdum Viros & pios contigit se subscribere ejusmodi professioni fidei Concilii Constantinopolitani, quod scilicet (ut in Ariminensi quoque confessione accidisse dictum est) nullam expressam contineret impietatem. Nam, quod dicebatur esse asserendum ex divina Scripturae praescripto: Filium esse Patri similem, nullus Catholicus id abnuerit. Neque, quod ob scandalum praetexebant, tacendum de nomine Essentiae sive substantiae atque subsistentiae, ob id ibi negabatur expresse, Filium divinae esse substantiae, & substantiam predicandam esse de Patre, Filio & Spiritu Sancto: Neque ullum in ea professione inferebatur anathema in profitentes fidem Nicenam.

Limitator.

Quamobrem illud, ut diximus contingebat, ut COMPLURES pii viri ac probi Nicenaeque fidei professores putarent, absque dispendio pietatis posse professioni Constantinopolitanae subscribere, ac pariter retinere Nicenam: licet longè ab his diversum esset Acacianorum Consilium.

Haec autem & his similes Dispensationes, ut vocant, & Remissiones

nes

mes publicæ Recantationis, tunc demum excusationem reperiunt, ubi exactio hujus speciei *satisfactionis* certò vel probabiliter conjuncta est cum majore damno, sive spirituali, sive temporali, quàm cum quo conjuncta est omissio sive Remissio de Canonibus, Recantationem aliasque satisfactionum species præscribentibus. Deinde admittitur de solis suffragatoribus, non de Ducibus, hæresiarchis & Promachis heterodidascalias, ut supran. 107. ostensum.

Addo unum: Palinodiam erroris vel etiam hæreseos, ut est propagatio doctrinæ falsæ de noticia per solum lumen supernaturale cognoscibili, non importare infamiam, perinde ut palinodia injuriæ aut contumeliæ famæ proximi illatæ. Quia, etsi in propagatione hæreseos dolus committi solet, quem concurrere supponit *Lex l. Cod. de SS. Trinitate, & Authet. Gazaros.* ht. vid. *Wesensb. ad Tit. Cod. de hereticis.* Error tamè animi non refertur inter capitalia, sed mitigat capitalia per se. l. si quis adulterum §. de adult. Quin & ipsa propagatio dogmatum religionis ex falsa persuasione, imprudètiq; Zelo suscepta aliquando fieri potest sine dolo, & propterea non infamat ratione objecti, quicquid jus Pontificium de eo statuat: Infamat verò ratione subjecti, quod legitimam docendi facultatem non habet: Vel etiam ratione excessus in modo propagandi, aliave de causa extra qualitatem objecti positâ. De quavis autem injuria famæ proximi illata ideo præsumitur dolo, quia lumine naturæ constat, hoc non decere. Itaque Palinodia erroris circa objectum non nisi lumine supernaturali cognoscibile: & Palinodia facinoris dolo commissi, diversas causas agnoscunt. Eaque propter à Recantatione erroris circa fidem, metu infamiæ nemo terreri debet, quia Christiana deprecatio est, non juridica palinodia. Præsertim, cum moderni Commentatores Bullæ Cœnæ Domini, non nisi *formales hereticos* per illam Bullam feriri doceant. *Formales* autem dicunt eos, qui scientes, Romanam Ecclesiam esse Catholicam, ei quæ Catholica pertinaciter contradicunt in rebus fidei, & hoc dogmatizant. Vid. Ludovici à Cruce Comment. in hanc Bullam. *Castro Palao* Tom. I. Op. Moral. Tract. IV. Disp. I.

120

Revocatio erroris circa objectum supernaturale, non potest infamare.

Formales heretici.

Bo-

Bonacinam Tom. 3. Opp. Disp. 2. puncto I. & prolixè apud *Canum*
Lib. XII. LL. Cap. VIII. IX. X. XI.

121
Neg. jure Sa-
xonico.

Addo alteram: Revocationem quamvis apertam & forma-
 lem erroris circa objectum non nisi lumine supernaturali co-
 gnoscibile, etiam jure nostro Saxonico, ideò non infamare, quia
 non requiritur neque *prestatur ad interesse privatum læsi honoris hu-*
mani restituendum, quod est de proprietate essentiali palinodiæ,
 cum civilis, tum criminalis inter homines, docente *Dn. Carpzov.*
Pract. Crim. in. parte 2. q. XCIV. n. 15. seqq. & patet ex *Constit. Elect. Sa-*
xon. 42. ibi: **Der ordentlichen Obrigkeit gebühret / Ehr-**
liebenden Leuten durch geordnete Straff ihrer Ehren
Ergänzung zu thun. Sed requiritur *ad interesse divinum resti-*
tuendum, quod divina Majestas in eo habet, ne falsa & hæretica
 mentibus hominum cum periculo æternæ beatitudinis impi-
 mantur.

122

Restituitur autem interesse divinum, quando de facto desi-
 stitur à propagatione erroris, & mentes hominum imbuuntur,
 veritate salvificâ. Errores verò pristini aut refelluntur, aut planè
 obliterantur, ne amplius noceant. Quemadmodum de peccatis
 morum divinus honor vindicatur & restituitur, omissione flagi-
 tiorum pristinorum, sive non continuatione eorundem, etiam si
 nulla Canonica satisfactio accedat. Quam tamen propterea
 non negamus utiliter accedere, aut exigendam esse, ubi circum-
 stantiæ personarum, loci & temporis id non impediunt; uti su-
 pra quoque indicatum est.

123

Præcipuam tamen & adæquatam causam, ob quam *Revoca-*
tio erroris circa fidem, non infamat, eam duco, quam priore loco
 posui; quia versatur circa objectum solo lumine naturali non
 cognoscibile. Et hac de causâ nulli pro crimine aut flagitio du-
 ci potest, si erret circa illud, circa quod sine prævio influxu lumi-
 nis supernaturalis (quod certè in potestate hominis non est) non
 potest non errare. Circa attributionem autem & distributio-
 nem honoris proximo debiti, potest per naturæ lumen rectè ver-
 fa-

fari, neque ad hoc indiget illuminatione supernaturali, ne proximo impingat falsò adulterium, homicidium, scelus, furtum, &c.

Apponam memorabile exemplum discrepantium votorum 124
 in Synodo Chalcedonensi, inter Orthodoxos Episcopos, de expo- Dissensus Or-
 scenda an remittendâ publica Recantatione ab Eutychete hære- thodoxorum
 siarcha. Accusaverat Eusebius Dorylei Episcopus coram Synodo circa Palino-
 Chalcedonensi, Eutychem Archimandritam, sive Abbatem & Pa- diam Euty-
 pam (ita Act. I. fol. 90. apud Binium appellatur) in Urbe Regia Con- cæbetis.
 stantinopolitana; quòd post incarnationem & unionem persona-
 lem, duas in Christo naturas negaret, idq̄ve ex sermonibus ejus per
 testes, & scriptis ejusdem probaverat. Citato, foroq̄ve se subdu-
 centi Eutycheti, semel atq̄ve iterum, & tertio & quarto signi-
 ficabatur: *veniret, & responderet de objectis erroribus; Non quæri*
ignominiam ejus, sed abolitionem scandali. Ita enim Flavianus Patri-
 archa Constantinopolitanus & præses in illa Synodo Oecumeni-
 ca, jubebat nunciari ei per nuncios citantes. *Actione III. Con-*
cil. Constantinopolitani; Cujus acta relegebatur *Act. I. Concil. Chal-*
ced. fol. 80 apud Binium: *Εἰ πῶς ἔλθῶν, καὶ ἐξαιέσας τὴν πρῶτέ-*
ραν αὐτῷ δυσσέβειαν, καὶ ἐπιγνῶς τὴν ὀρθὴν πίστιν, καὶ τὴν ἐκθεσίαν
τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, συγγνώμης ἀξιώθει, τῆς πρεπέσσης
παρ' ἡμῶν δίδουσας τοῖς ἐς μετάνοιαν ὀρθῶσιν: *Si tantum veniret Eu-*
tyches, & evomeret pristinam suam impietatem, & agnosceret sanctam
fidem, & expositionem Sanctorum Patrum nostrorum, (in Concilio
 Nicæno, & Ephesino, ad quorum consensum frequenter provoca-
 bat Eutyches:) *veniâ utiq̄ dignus haberetur, quam decet Nos dare iis,*
qui ad resipiscentiam contendunt.

Ibid. Act. IV. fol. 86. quum & Tertiam citationem elusisset Eu- 125
 tyches, & Diaconum Eleusinium misisset, qui absentiam ob cor-
 poris ægritudinem excusaret, præses Concilii Flavianus, Manda-
 tario Eutychetis iterum significat: *Dei est dare sanitatem, nostrum*
autem expectare convalescentiam ejus. Neq̄ enim abscissionem ejus
intendimus, sed incrementum: Neq̄ Deus delectatur in perditione vi-
vorum; nec sumus filii inhumanitatis, sed clementiæ Dei, &c. Veniat

Gg

huc:

Eutyches Nestorij Antagonista.

huc: Ad Patres veniet, & ad fratres non ignorantes eum, imò hætenus in amicitia permanentes. Multi audiverunt dogmata ejus, multi scandalizati sunt. Et Accusator ejus instat, cui debet satisfacere. Si enim tunc, Nestorio adversante veritati, pro veritate ingressus est iste (in Concilium nempe Ephesinum, in quo Eutyches accusabat Nestorium) quāto magis nunc debet pro veritate & pro seipso ingredi? Homines sumus: Et multi & magni scandalizati sunt, & per imprudētiā & per imperitiā decepti sunt, putantes se recta sapere. Pœnitentia non affert confusionem, sed permanere in peccato, opprobrium est. Sicut enim vermis consumit lignum in quo nascitur: Ita & peccatum permanens in faciente illud. Potius ergò hūc veniat; & confitenti illi delictum, & ANATHEMATIZANTI debemus pro præcedentibus veniam: Et de futuris Nos & sanctam Synodum muniat (ἀσφαλίστηται, cautionem nobis præstet) quod similia expositionibus Sancto- rum Patrum sapiat, & præter has postmodum neq; docere velit alios, neq; in aliorum præsentia disputare.

126 Quum hæc conditiones Act. VII. in qua comparuerat Eutyches, literis securitatis ab Imperatore instructus, & Legato Cæsareo, Florentio Patricio, militumq; prætorianorum manu stipatus, (etsi jurasset, se Monasterio non egressurum dum viveret, &c.) repeterentur, totaq; Synodus diceret fol. 92. Act. apud Bini- um: Oportet TE σαφῶς ὁμολογήσαι, apertè confiteri, & ANATHEMATIZARE omne dogma, quod contrarium est his, quæ modo prælecta sunt. Eutyches autem tergiversaretur, ludificatione argumenti à silentio, sive testimonio negativo desumpti: (Patres Nicænos & Ephesinos non dicere, quòd post incarnationem maneat duæ naturæ in Christo: Ergo non posse se anathematizare eos, qui hoc negent) Totaq; Synodus exurgens clamaret: Anathema Eutycheti: Præses tamen Singulorum vota requireret; Quid mereatur iste præsens, neq; apertè confitens rectam fidem, neq; consentire volens his quæ Sancta Synodus sentit, sed in suâ perversa & iniqua malignitate consistens? Seleucus Dei amantissimus Episcopus Amasiæ dixit: Dignus est quidem iste damnatione; (καταράσεως) IN VESTRÆ TAMEN SANCTITATIS HUMANITATE TANTUM unicè consistit: Ἐν δὲ τῇ Φι- λαν-
λασν-

λανθρωπία μόνον τῆς ὑμετέρας κείται ἀγιοσύνης. Replicabat autem Præses; *Si quidem confitens suum peccatum (ὁμολογήσας) 13* vellet, aut persuaderi se pateretur anathematizare suum dogma (τὸ ἴδιον δόγμα) & consentiret nobis, scētantibus Expositiones Sanctorum Patrum, meritò dignus esset veniā: Sed quia permanet in sua malignitate, subiacebit vindictis canonum. Ad hæc tandem Eutyches Presbyter & Archimandrita se explicavit: *Dico quidem ista, quoniam & vos me iussistis: (scil. in Christo Domino esse duas distinctas naturas, subintelligebat autem ante incarnationem.) Non autem ANATHEMATIZO.* Sequitur autem in Actis Concilii Chalcedonensis sententia condemnatoria h. m.

Itaque, cū palàm profiteretur; se post incarnationem non 127 confiteri duas in Christo naturas, neque etiam anathema dictu- *Excommunicatio & De-* rum non confitentibus, instante Accusatore, Eusebio Dorylæo, *positio Euty-* atque etiam protestante; *etiamsi pœnitens nunc anathematizaret, positis Euty-* quæ ante docuerat Eutyches, tamen esse deponendum propter præterita *chæti,* mala quæ dedit; se enim, non propter futura, sed propter præterita e- *um accusasse:* quam protestationem aliquoties repetiit in iudicio, usque adeò, ut Præses importunum protestantem repelleret, dicens: *Etiamsi millies ista repetas, nos tamen nihil præponimus veritati, neque indefensum condemnabimus. Act. Bin. fol. 84. 86. 90.* obtinere tamen majora vota, ut in iudicio etiam Revisorio, postquam Acta absente Eutychete & Legato Imperatoris consignata, præsentibus hisce relecta & examinata essent, condemnatoria sententia in Eutychem, præsentem parte, & Legato Cæsaris, promulgaretur, quæ extat fol. 93. Act. Binii, cui & Seleucus Amasiæ Hellepontii Episcopus, qui in mitiorem partem inclinabat, *judicans subscripsit, ὀρίσας ἔγραψεν;* Sic autem habet sententia condemnatoria:

Sanctissimus Archiepiscopus (præses Flavianus) dixit: *Per 128 omnia Eutyches, quondam Presbyter & Archimandrita, & ex his quæ antea acta sunt, & nunc propriis ejus confessionibus, Valentini & Apollinaris perveritate repertus est egrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter (ἀμεταθέτως) sequi. Quin nec nostram reverens persua-*

Gg 2

sio-

sionem atque doctrinam, relictis voluit consentire dogmatibus.

Unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem, (ἐπί τῇ παντελεῖ ἀπωλείᾳ αὐτοῦ) decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, remotum eum & extraneum esse (1) ab omni officio sacerdotali (2) & à nostra communione (3) & à primatu Monasterii. (4) Scientibus hoc omnibus, qui postea colloquentur ei & ad eum convenerint, quod Rei erunt & ipsi pœna Excommunicationis; ut, qui non declinaverint confabulationes cum ipso: τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας.

Subscripserunt sexcenti & triginta Episcopi Anno Dni.
CCCCLI.

129 Hoc exemplum ideò allegavi, ut ostenderem; Palinodiæ publicè exactionem, etiam illo seculo relatum fuisse ad Arbitrarias judicum pœnas, quemadmodum jure civili indubiè ad eos pertinet, ut ex Menochio de Arbitrariis judicum sententiis, *Casus CCLXII, & CCLIII. Dn. Carpzovio* paulò ante laudato, aliisque videre est. In Decreto Gratiani tota *Distinctio I. de pœnitentia* occupata est in hoc argumento, ut probet: Sufficere aliquando solam contritionem cordis, sine confessione oris, pro qualitate factorum, personarum & Temporis. Ubi multa inspersa sunt de Revocatione publica heterodidascalæ.

§ XVIII.

De Effectu Irritæ Correptionis fraternæ & pastoralis simul, qui est EXCOMMUNICATIO.

130 **I**mediatus & proximus effectus irritæ Correptionis fraternæ est *Denunciatio*, Ecclesiæ faciendâ; Quâ facta, tenetur Ecclesia ad corripendum *Pastorali & Magisteriali* correptione eum, qui denunciatus est: Quod si contingat & hanc correptionem irritam
fic.

feri, sequitur *Excommunicatio. d.c. Matth. XVIII.* De qua, quum non sit effectus immediatus irritæ correptionis fraternæ & privatæ, sed pastoralis, in præsentiarum nobis sermo non erit, nisi in relatione correptionis ad gradus præcedentes; quum non de *pastorali*, sed de *fraterna* correptione disquisitionem instituerimus.

Est verò Excommunicatio Censura Ecclesiastica, per quam cuiusvis particularis Ecclesiæ membrum, ob scandalosum crimen in vita, aut falsam & scandalosam professionem in fide, suspenditur vel etiam planè excluditur à communione, tum internâ gratiæ spiritualis, tum externa verbi & Sacramentorum, nec non conversationis fraternæ, quæ Christianis tanquam fratribus etiam extra catus sacros intercedit.

Definitionis singulæ partes nullo negotio ostenduntur ex dicto loco Matth. XVIII. ubi de cuiusq; particularis Ecclesiæ membro, quod Ecclesiam pro iudice agnoscit; de objecto Excommunicationis; de forma & effectu, per modum ligationis in cælo, detrusionis in classem Idololatrarum, qui à fidei communione, & Publicanorum, qui à communione charitatis Christianæ alieni sunt, satis manifestè disponitur.

Dividitur vulgò Excommunicatio in *Majorem & Minorem*: Major, prout Lutheri ætate usu atque exercitio Pontificiorum constabat, appellatur in *Articulis Smalc. pœna civilis, non pertinens ad Ministros Ecclesiæ*, tanquam iudices ordinarios. Minorem, quæ manifestos & obstinatos peccatores non admittit ad Sacramentum & communionem Ecclesiæ, donec emendantur & scelera vitent: tanquam vexa & Christianam, commendant iidem *Articuli Smalcald. parte Tertiâ Artic. IX.*

Fit autem illa non admissio ad Ecclesiæ & Sacramentorum communionem, diversis modis (1) *per judicialem ejectionem & exclusionem* ejus qui deliquit, ab illis sacris, de quibus hætenus communicaverat, donec emendetur. (2) *per non admissonem negativam* ad illa sacra, de quibus nondum participavit, qui peccavit, donec satis idoneum & habilem se præbeat communicationi: Quæ non admissio, strictè loquendo non est Excommunicatio.

Gg3

Hæc

131
Definitio Ex-
communicati-
onis.132
Divisio

Modus

Hæc namque vi vocis, *privationem habitus & juris præexistentis significat, & subtractionem ejus, quod ante competebat: Quin potius est hæc negativa non admissio, non collatio ejus, quod non nisi sub conditione competit, neque datur, quandiu conditio nondum impleta est, Estque magis dilatio beneficii, quæ fit ad probandum & præparandum eum, qui beneficio fructurus est, quàm ereptio.* (3) *Per subtractionem sui ipsius, sive cætus integri ab alio cætu, sive aliis cætibus: quomodo Petrus subducebat se non quidem à communionem sacræ cœnæ, sed vulgaris, cum Christianis è gentilitate conversis antea frequentatis Gal. II, 11. seqq. Paulus Apostolus dicitur, segregasse discipulos suos à cætu Synagoga, cum qua hæctenus unum cætum fecerant, Act. XIX, 9.*

Quæ voluntaria separatio Unius vel plurium, à visibili quodam cætu Christiano, in quo saltem aliqui Orthodoxi, & à fidei erroribus & flagitiis quoad communionem immunes manent, neque alios ad separationem cogunt, sive physicè per corporalem persecutionem, sive moraliter per minas, interdicta, præcepta, &c. non vacat culpa; Neque excommunicatio passiva excommunicati dici meretur: sed voluntaria separatio, & communicationis temeraria desertio dicenda est: eaque prohibita ab Apostolo Ebr. X, 25.

134 Quamvis enim jussi simus *subducere, separare, subtrahere nos, & ἀποχωρήμας II. Thessal. III, 6. ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundum Traditionem Apostolicam: Quamvis etiam jubeamur nos separare conversatione familiari ab Adultero, homicida, avaro, &c. qui frater dici vult: I. Cor. V, 10: Non tamen jubemur nos separare cultu, adoratione, professione, Sacramentorum sumptione, & Sacrorum communionem à cætu illo, in quo vivunt hæ personæ singulares; sed tantùm ab his singularibus personis, & quidem, quod ad intimiorem admissionem, & fraternam conversationem attinet: (de concursu in officiis civilibus, ex lege vel officio incumbentibus sermo non est) quando separatio sive subductio nostra potest fieri sine noxa tritici, id est fidelium in ejusdem Ecclesiæ particularis agro consitorum, Matth. XIII. Hoc est, in congressu.*

133
Propria separatio à cætu secundum partem Orthodoxo, illicita est.

gressibus arbitrariis, familiaribus, fraternis & privatis; Non verò licet separare se à fratre etiam scandaloso, in congressibus lege civili præceptis; Horsum enim Ecclesiastica Excommunicatio non pertingit.

Excommunicatio non facit nisi excommunicatum à beneficiis Ecclesiæ propriis; non privat quæquam dominio aut jure naturali, gentium, aut civili. Si alicubi etiam inter Protestantes, uti in *Scotia & Anglia* ampliores effectus sortitur; id ex jure statutorio humano habet, non divino, uti inter Pontificios præ cæteris egregie demonstravit *Rogerus Widringthor*, Papista Anglus, in *Apologia pro jure Principum*, contra Bellarm. & Suarezium, n. 346. seqq. Conferatur etiam *Quæstio in Georgium Blacuellum* Archipresbyterum Anglum habita, apud *Goldastam Tom. III. Monarch. fol. 587. seqq.* nec non *Marcus Anton. de Dominis V. de Rep. cap. 9. & lib. VI. cap. 10.*

135
Excommuni-
catio nimium
non est exten-
denda.

Datur tamen etiam quædam Excommunicatio per subtractionem communis beneficii Christianorum, quæ fit Extraneis, quoad Diocesin illius particularis Ecclesiæ quæ subtrahit, etsi videri velint illi Extranei, Consortes & Domestici fidei Electorum, de qua *Tit. I. Eph. IV. & c.* Et hæc subtractio non est quædam Excommunicatio media, inter Majorem & minorem, ut putavit *Estius* in *Comment. ad I. Cor. V. & II. Thessal. III*; sed est veri nominis excommunicatio. Quæquam enim per meæ conversationis, tanquam Unius privati, aut singularium quarundam personarum subtractionem à conversatione cum Sejo. non excommunicetur Sejus, sed tantum per sententiam Ecclesiæ suspendentem eum, vel planè præscindentem eum à Sacris, & tradentem eum Satanæ; Quia tamen excommunicatio vi formalis sui dicit *Relationem privativam*, in ordine ad illam communionem quam Sejus hæctenus habuit, sive jure solo, sive jure & exercitio simul; nihil interest, ab utra parte rumpatur illo communio. Ruptura enim ipsa communionis sacræ est formalis excommunicatio, dummodo à competente iudice, legitimis de causis, & modo legitimo fiat.

136
Excommuni-
catio non diæ-
cesanorum.

Quem-

137 *Negatio communium sacrorum est vera excommunicatio.* Quemadmodum enim subtracta communio juris gentium, futura esset excommunicatio quædam civilis, ut interdictum de aqua & igni, de non eundis viis publicis, non exercendis commerciis, aut negatio vendendi huic vel illi, quod venum tamen exponitur: Ita negatio admissionis ad nostra sacra, & negata accessio ad sacra aliorum, in effectu non nisi Excommunicatio est, si publica autoritate statuatur. Quum communio Sanctorum externa, reciprocam communionem requirat: Id est, Mutuam dationem & acceptionem Sacramentorum. A qua neque Judæus neque Scythæ arcendus est, dummodo fidem illam afferat, quæ communionem Sanctorum internam facit: nec non Professionem & mores, ex quibus communio externa constat, Coloss. III, 11. Ephes. II, 18, 19. IV, 4, 5.

138 Neque Autores ab *Estio* allegati, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Thomas*, aut *Cajetanus*, diversum à nobis sentiunt. Augustinus quidem III. contra *Parmenianum* cap. 2. agens de prudentia & moderatione adhibenda in excommunicatione sui ipsius, id est propria: & alterius; allegat etiam ista Apostoli dicta, de subtrahendo se: sed non dicit; subtractionem meam et privatæ personæ à communionem cum alio, esse alterius propriè sic dictam excommunicationem; Neque negat subtractionem publicæ personæ aut publici cætus à communionem cum alio, esse veri nominis excommunicationem. Sed quicquid sit de nomine, *media species*, non nisi analogicè dicitur Excommunicatio.

139 *Privatio possessionis sacre magis proprie est Excommunicatio.* Prior autem quæ privationem & ablationem juris & exercitii infert, propriissimè & strictissimè dicitur excommunicatio, & differt gradibus. Alia enim est *privativa ex toto*, quæ omne jus omneque commercium externum & internum cum communionem Sanctorum adimit, sive ad tempus, sive in perpetuum, & vocatur *traditio in potestatem Satane* I. Cor V, 5. I. Tim. I, 20. quæ potest appellari Excommunicatio expulsiva & præcisiva, qualis ex Calvinistarum principiis de gratia inamissibili, non datur. Alia autem est *privativa ex parte*, quæ non omni influxu gratiæ divinæ, neque omni usu omnium mediæ gratiæ & instrumentorum salutis pri.

privat, sed aliquorum tantum, ut *communione activâ precum in cætu fidelium, communione mensæ sacræ, communione suscipiendi baptizatos de sacro fonte, &c.* quæ tamen communione audiendi verbum Dei non privare eos, quâ gratiâ Catechumeni etiam gaudent, et si communione Sacramentorum nondum fruuntur.

Marcus Antonius de Dominis V. de Rep. c. 9. plures tradit divisiones Excommunicationis à *Canonistis & Casistis*, ut ait, *non observatas*; Quarum alias ait esse *Censuras*, alias *non esse censuras*; alias esse *Medicinales*, alias *præcisivas*, *peremptorias*, & *internecivas*; alias *privatas*, alias *publicas*. At hæc distinctiones mere accidentales sunt: Prior autem divisio falsa est. Omnis enim Excommunicatio ratione genericæ actionis, censura Ecclesiastica est. Ecclesia enim ex mandato Christi Matth. XVIII. censet de fratris statu & conditione, quam habuit hactenus in communione Sanctorum: & de eo statu deponit ac sequestret eum, vel planè, vel ad partem. Ex intentione autem causæ proximæ Excommunicantis, *omnis Excommunicatio debet esse Medicinalis, ut Spiritus salvus fiat I. Cor. V. 5.* Ex accidenti fit *peremptoria & interneciva finaliter.*

Privata Excommunicatio, non est excommunicatio; Vocabulum enim ipsum insinuat relationem *ad communitatem*, non solum ut ad objectum, à quo quis separatur, sed etiam ut ad subjectum, quod sentit & sentire debet, quoad actum reflexum, sive quoad facultatem sensitivam, fieri alicujus membri solutionem à se, Idè Apostolus dicit: *juncto meo & Vestro Spiritu. d. l. I. Cor. V. & Christus: Dic Ecclesie, Notifica Ecclesie: sit Tibi, sit aliis Ecclesie membris, velut Ethnicus & Publicanus.* Quæ periphrases inducunt notorietatem de separatione excommunicati: Et sensum noticiæ in illo subjecto, à quo quis separatur. E. privata & arcana suspensio alicujus à cœnâ, vel ad tempus publicè non notum, non est proprie dicta excommunicatio, sed privata censura Pastoralis, Et satisfactio, sive pœnitentiæ opus occultum, à confessoribus, pœnitentiario vel Prælato impositum pœnitenti,

H h *Quantum*

142
Excommuni-
cationis cau-
sa Effic.

Quantum ad nostrum institutum facit; considerata sunt excommunicationis (1) causa efficiens quoad jurisdictionem. (2) merita (3) Tempus. *Causa efficiens principalis* est Deus, (Quicquid ligaveritis ligatum erit à Cælo. Matth. XVIII. Joh. XX) quemadmodum & Deus principalis causa est *Absolutionis*: Ministerialis remota, est Ecclesia particularis collectiva, in qua deliquit Reus: Ministerialis proxima, *Synedrium Ecclesie*, sive Ecclesia Repræsentativa. *Adjuvans* per modum suffragii, sive suffraganea causa, est *universa Catholica Ecclesia*, sive totum homogeneum, ratihabens id, quod ligavit pars homogenea, quemadmodum ratihabet id, quod solvit pars homogenea.

143

Et hæc quidem de processu ordinario ita se habent: Impeditâ verò causâ ministeriali proximâ ad agendum, succedit, & succurrit nonnunquam causa Adjuvans & suffraganea, & exercet clavem ligantem in non subditum subjectione particulari & Diocesana: subditum tamen subjectione generali, & quasi Sacramentali, quæ dependet à communione Sacramentorum universalis Ecclesie, & qualitate homogenea particularium Ecclesiarum, inter se. Quemadmodum in foro seculari delicta etiam publica non puniuntur, nisi à competente iudice: Hoc autem cessante vel impedito, puniuntur per bella vindicativa vicinorum ad pacem publicam conservandam, vel ad vindicandas injurias & damna, quæ Magistratus ordinarius vindicare non potest, aut non vult, aut quando lædens nullum iudicem in terris agnoscit.

144
Excommuni-
catio non sub-
ditorum.

Verum enim verò hæc surrogatio potestatis Universalis, in locum potestatis diocesane, magnos semper motus & schismata post se traxit, quemadmodum vindicta criminis secularis, sumpta de non subdito vel subditis, bellum est.

145

Regulariter non excommunicatur, nisi subditus, isque ab illa particulari Ecclesia, in qua deliquit. Nec enim Romana Ecclesia excommunicavit incestuosum Corinthium, sed Corinthiaca; Illa, non nisi per approbationem & ratihabitionem sententiæ, quam tulit pars homogenea totius homogenei. Et hos limi-

limi-

limites *Nicæna Synodus* voluit esse sacros, quando Can. VI. sanxit: *Mos antiquus perduret, &c.*

Hinc enim Schismatum omnium, dicam & hæresium prima ¹⁴⁶
 femina jacta sunt, quod vicini, vel etiam transmarini Episcopi ir- *Limites pa-*
 ruerunt in alienas diœceses, vel per ordinationis ritum: Vel per intro- *triarchales,*
 ductionem & investituram Pastorum in alienas diœceses, vel per *provinciales,*
 censuram, vel per cognitionem de non subdito, vel per aliam *Diœcesani, &*
 quamcunq; usurpationem potestatis, sive ordinis dicatur, sive ju- *parochiales*
 risdictionis potestas, in non subditum. Cui malo ut mederen- *in una Urbe:*
 tur Concilia *Nicænum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, Cartha-*
ginensia, aliaq; plura, posuerunt quidem limites diœceseon tum
 Patriarchalium tum Metropolitanarum, tum Episcopaliū, tum
 etiam ruralium: Imò etiam in una majori Urbe, ut *Antiochena,*
Alexandrina, Constantinopolitana diœceses & jurisdictiones distri-
 buerunt, ut Parochi pacem colerent; (et si Canon Nicænus X. a-
 pud Ruffin. l. I. c. V. sanxit: ut in una civitate Unicus Episcopus
 esset) Verum uti Decalogus observatur, ita & his statutis ob-
 tigit. Vid. *Marc. Anton. de Dom. lib. II, de Rep. Eccl. cap. 3. lib. III. c.*
3. lib. IV, c. 6. &c.

Epistola LX. inter Epistolas Hieronymi est excusatio *Epiphani* ¹⁴⁷
Cyprii, quod involasset in diœcesin *Joannis Hierosolymitani,* & Beth- *Saltus Cypria-*
 leemi Diaconum ordinasset ac Presbyterum. Quod defensat *ni extrali-*
 Hieronymus, prætextu erroris Origenistarum, cui Joannes Hie- *mites.*
 rosolymitanus fuerit obnoxius. Defensat Epiphanius, tanquam
 plus æquo benignus in Joannem fuisset, quando cum ipso tamen com-
 municavit, seq; à communionem ejus non abstinuit, Extraneumq; a-
 deo Episcopum, à propria, id est Hierosolymitana Ecclesia non
 excommunicavit: Verum & Epiphanius & Hieronymus tum
 hic tum & alibi humana passi sunt, de quibus postea, Et Epiphani
 quidem *ἀλλοτριοεπισκοπία* Joanni Chrysofostomo magna fuit
 fraudi, ut mox dicam n. 155, seqq.

Cæterum per modum jurisdictionis ordinariæ, & privatio- ¹⁴⁸
 nem pœnalem reorum, eorumq; judicialem & actualem exclu- *Judex Ord-*
 sionem à Sacramentis Ecclesiæ, non alios sibi sumpsisse faculta- *narius excom-*
 tem *municationis*

tem excommunicandi, nisi Dioecesanos; neque in alios nisi in dioecesanos suos, comperti juris est. At per modum suffragii & approbationis, omnes ubique Orthodoxas Ecclesias exclusisse excommunicatum ab una saltem Orthodoxa Ecclesia, tanquam parte similari totius homogenei, etiam à communione Universalis Ecclesiae; indubiae itidem veritatis est. Nemo enim dubitare potest, incestuosum ab Ecclesiae Corinthiacae communione exclusum, *cap. V. prioris Epistolae Pauli Ap.* perinde à Romanæ, Ephesinæ, Hierosolymitanæ, omnium denique Orthodoxarum communione seclusum fuisse.

149

Nec enim quisquam alibi solebat admitti, nisi *Formatas aut pacificas* à dioecesano suo Episcopo, eoque notoriè Orthodoxo attulisset literas. Juxta *Concil. Laodic. I. Anno Christi CCCXVI. Can. 41. & Alexandrum Epistola Monitoria ad totius Orbis Episcopos, de cavendis Ario & Achilla apud Epiphanium hæc. LXIX. & Theodoret. lib. I. cap. IV.*

150

Non admissi
alibi ad Syn-
axin, nisi res-
seram affe-
rentes.

Inter Nicænos Canones Ruffinus lib. I. 6. & hunc refert: *Ne quis excommunicatum ab Episcopo suo recipiat, sive Laicum sive Clericum sub poena ejusdem censura.* Quod in Concilio Antiocheno Anno CCLIX Gangrensi Anno CCCLXI. Carthaginensi quarto, CCCXCVIII, aliisque exinde Synodis confirmatum, usuque & observatiâ frequentatum fuisse, vel solo *Marcionis Hæresiarchæ* exemplo constat: què Clerici Urbis Romæ, ut supra annotavimus, noluerunt admittere, eò, quod à Patre suo excommunicatus esset. Hodieque refertur talis Canon inter *Canones Apostolorum* sic dictos n. XXXIII.

151

Divulgatio
sententiae.

Sveviffe etiam Excommunicatorum nomina Episcopis aliis perscribi, ut à surrepturis cavere suis Ecclesiis possent, patet ex modo laudati *Alexandri Episcopi Alexandrini Epistola de Ario ad omnes Universi Orbis Episcopos* apud Socrat. lib. I. c. 3. Et *Epiphani. Hæresi LXIX.* nec non *Ep. XLVII. Basilii ad magnum Athanasium*; qua significat, innotuisse sibi ex literis Athanasii de excommunicato Præfecto Lydiæ. *Innotuit, inquit, Ecclesie nostrae ex literis pietatis tue, atq; averfandum atq; execrabilem illum arbitran-*

1107

zur omnes, ita, ut nec ignis, nec aqua, nec testi communionem cum illo sint habituri.

Neque etiam sive esse absolvi publicè, neque ad communio-¹⁵²
nem admitti, antequam relatio de poenitentia ad populum facta *Publicatio*
fuiſſet, patet ex geſtis cum Nestorianis. *Act. Concil. Ephesini apud absolutio-¹⁵³*
Peltanum T. 6. c. 13. & Baronium ad Ann. CCCCXXXII.

Collegerunt multa hujusmodi Exempla *Centuriatores no-¹⁵³*
ſtri Cap. VI. Centuriarum, imprimis *Cent. IV.* ubi & *durationem*,
temporis quandiu probabantur recipiendi, & *modum poenitendi*, &
modum confitendi, & *modum revocandi*, & *forum*, & *judices*, & *pro-*
cessum totum idoneis Antiquitatis testimoniis describunt. Qua-
lia & *Annalium conditor* passim observavit, nisi quod invitâ ve-
ritate *forum omne ad Romanum forum trahat*, præfertim *in ab-*
ſolvendis hæreticis. *ad An CCCXVIII. ad Ann. CCCXXCVI.* de divina
correctione S. Martini, quod Felici Ariano communicaverat, *ad*
Ann. CCCCVIII. de conditionibus recipiendorum Arianorum, Con-
ſtantinopolitanorum. *ad Ann. CCCCXLVIII.* ex literis *Flaviani,*
Constantinopolitani ad Leonem Romanum, de non communicando
cum *Eutychete*, *neq; per literas, neq; per alloquium.* Et cum primis
ad Ann. LVII. à num. XI seqq. nec non l. supranot. ad Ann. CLXVII.

Non possum autem probare, quam paulò ante n. 147. attigi,
Epiphani *ἀλλοτριοεπισκοπία*, in convocandis cætibus contra ¹⁵⁴
Joannem Chrysostomum, & fabricandis edictis in aliena dioecesi *Epiphanius*
contra ordinarium loci *Episcopum*, quod instigatum à *Theophilo* *jurisdictione*
Antiocheno *Chrysostomi æmulo*, ipsum fecisse constat *ex Socrate* *sua nulliter*
VI. cap. 12. 13. 14. Qui *Socrates* tametsi *Chrysostomo* non faveat; E-
jus tamen modestiam in dissimulandâ injuriâ, quod infularis iste
Episcopus in Urbe Regia, in sede Patriarchali, Synodos cogit, Synaxin
celebrat, Diaconos ordinat, Origenis libros condemnat, alios ad subscri-
bendum condemnationi compellit in Joannis dioecesi, & rogatq; invi-
tatusq; à Joanne ut hospitium sumeret in ædibus Episcopalibus, ad con-
sensum fraternum contestandum, morose refragatur; Cætus in publico
diversorio facit, &c. Hæc nemo probare in *Epiphanio* potest.

Hh 3.

Neque

155 Neque etiam ejusdem Epiphani *ἄλλοτε ποιεπισκοπίαν* in ordinandis Diaconis & Presbyteris Bethleemi, sub jurisdictione, & in Diœcesi Joannis Hierosolymitani; Multò minus *usurpationem, anathematis & excommunicationis* in vicinum, & digniorem quidem Episcopum, ac Patriarcham Hierosolymitanum. Hoc enim ausu *Hieronymum Presbyterum*, sub jurisdictione Joannis Hierosolymitani constitutum inflammavit, ut irreverenter & penè impudenter in Episcopum suum, cui obedientiam & reverentiam, promiserat, inveheretur, antequam negotium illud conciliariter cognitum aut decisum fuisset; An & quæ dogmata Originis Adamantii pro hæreticis habenda & declaranda essent? *Originem enim laudabat Joannes Hierosolymitanus*: Epiphanius autem *Arii Patrem* appellabat.

156 Adscribã Verba Epiphani ex ep. LX. apud Hieronymum: *Vide*, inquit, *quod propter hanc causam omnis verbi indignatio concitata sit, quod dixerim Vobis: Arii patrem, & aliarum hereseon radicem, ac parentem laudare non debetis: Et cum vos rogarem, ne ita erraretis, & monerem, contradixistis, &c. Fecistis nos & pœnitentiam agere, quod vobis communicaverimus, ita Originis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor: Nos, secundum quod scriptum est, nec oculo nostro parcimus, ut non effodamus eum, si nos scandalizaverit, nec manui, nec pedi, si nobis scandalum fecerit. Et vos ergo, sive oculi nostri, sive manus, sive pedes fueritis, similia sustinebitis.*

157 Involationem in potestatem ordinis his verbis excusat in ead. Ep. *Ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi, maximè, cum nulla sit diversitas in Sacerdotio Dei (quasi verò paritas officii tollat jura diœcesana) & ubi utilitati Ecclesie providetur. Nam etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Christi. Hæc omnia extra extremæ necessitatis casum, incongruè dicuntur.*

158
Examinatur
Marci Antonii
πανεπισκοπία.

Quicquid enim *Marcus Antonius de Dominis lib. II. de Rep. c. 7.* pro hoc & similibus spoliis afferat, de potestate *charitativa extraneorum Episcoporum in diœceses Universi Orbis*: Spolia tamen manent
ejus-

eiusmodi usurpationes officiorum Ecclesiasticorum, in aliena diœcesi jam constitutâ: quædiu per ordinariam iudicis sententiam diœcesanus exautoratus, vel Extraneus ad hoc vocatus non est, vel denique extremum periculum subditorum alienam operam non requirit: Aut verò, quædiu Diœcesani saltem tacitus consensus probari nequit.

Falsam esse iudico Marci Antonii propositionem, quæ 159
 summarii loco dicto capiti septimo præfixit: *Episcoporum potestatem certis locis divino jure non esse arctatam.* Si potestatem ordinis & jurisdictionis intelligit, uti convenienter iis, quæ probationis loco subjungit, intelligi necessum est, falsum dicit: Episcopi utique erant, quibus Apostolus dicebat *Act. XX, 28. Attendite gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Episcopi, (*ἐπίσκοποι* in Græco vocantur;) & Sympresbyteri Petri Apostoli erant, quibus ille præcipiebat *I. Pet. V, 2: Pascite qui in Vobis est gregem Dei.* Quid attinebat circumscribere gregem: *Qui in Vobis est; Gregem, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos,* si omnium ubique gregium singuli debebant curam gerere in solidum. Quid attinebat Christum dicere: *Alium gregem, alias oves Job. X.* si singuli greges, uti collective & quoad homogeneam formam in respectu ad Christum Pastorem sunt unus grex; ita etiam quoad singulorum subpastorum curam erant grex unus?

Successerunt utique Episcopi Apostolis, quoad analogiam 160
 status, non quoad identitatem status, multo minus quoad latitudinem diœceseos; in qua potestatem ordinis, & jurisdictionis directè exercere possint. Antecedens oportebat probari à Marco Antonio, non supponi tanquam irrefragabile & certum.

Chrysostomus certè longè aliter sensit: Cùm enim distribueret objecta propria, distinctorum illorum officiorum, quæ *Ephes. IV.* discernuntur: & diœceses, in quibus quemque docere oporteret *Dedit alios Apostolos, alios Evāgelistas, Pastores, Doctores,* ait: *Primum Apostolos: Hi enim habebāt omnia: secundò Prophetas &c. Tertiò Evangelistas, οἱ μὴ περιιόντες πανταχῶς: Hi non obibant omnes regiones, Quarto Pastores & Doctores: His concreditum e-* 161
Chrysostomi testimonium.
rat

rat. ὁλόκληρον ἔθνος: peculiaris grex. In quo igitur erant Pastores & Doctores inferiores Scil. reliquis? (Ita enim Græcus textus distinguitur.) Maximè quidem inferiores erant iis, qui omnes obibant regiones. Et deinde Evangelizantibus, ii, qui considebant & occupati erant circa unum locum, ut Timotheus & Titus: Hæc Chrysoftomus.

162 Igitur Marci Antonii negativa: Non arctari certis locis, intelligenda est negativè, videlicet: Episcoporum potestatem non ita arctatam esse ab Apostolis ad certa loca, ne possint exporrigere pedum suum in loca infidelium, ubi Christus nondum prædicatus erat, ubi Ecclesiæ nondum constitutæ erant: uti Apostolus ait, Rom. XV, 20. seqq, At non cumulativè, neque privativè: Quasi singuli Episcopi concurrentem jurisdictionem habeant in Ecclesiis & parœciis jam constitutis, Quemadmodum Apostolus Paulus concurrentem jurisdictionem habebat cum sociis Plantatoribus Ecclesiæ Romanæ, & Apostoli singulicū singulis Locorum ordinariis. Rom. I, II. 12. 13.

163 Cypriani. Etiam Cyprianus hoc modo distinxit illud interesse, quod singuli Episcopi habent in Toto homogeneo, à parte, cujus administratio singulis commissa est, Epist. LXXIV. apud Pamelium, & de unitate Ecclesiæ: Episcopatus, inquit, unus est, cujus à singulis in solidum PARS tenetur. Non dicit: Episcopatus ille unus à singulis in solidum tenetur.

164 Et quam denique diversitatis rationem dabit Marcus: Cur exercitium jurisdictionis Laicæ in alieno territorio vel foro, censendū sit in specie prohibita ἀλλοτριοεπισκοπή, Exercitū a jurisdictionis Ecclesiasticæ in aliena diœcesi, nō sit ἀλλοτριοεπισκοπή.

165 Primus casus excommunicandi extraneos, quando provocatur ad plures. Veruntamen possunt emergere casus, & solent, proh dolor, nimis frequenter se offerre, in quibus provocandum est ab una particulari Ecclesia ad plures, quæ provocatio fundata est in gradatione dicti illius Christi: Dic Ecclesiæ; Quâ voce indefinitè non solūm quævis Ecclesia particularis, sed, pro exigentia causæ, plures etiam particulares Ecclesiæ designantur, ad quarum cognitionē Reus duci commodè potest. Uti Barradas hîc, Estius & Maldon, confitentur. Confirmatur voce Apostoli I. Cor. XIV, 29. 32: Unus prophetet, reliqui dijudicent: Spiritus Prophetarum oportet Prophetis esse sub.

sub.

subditos, &c. scil. quoad dijudicandi potestatem, de qua illic sermo est; quomodo etiam *Chrysostronus, Oecumenius & Theophylactus* exposuerunt. In quo *Calvini & Arminii* Discipuli consentiunt: solum disputant: An sub *Prophetarum* nomine etiam Laici intelligendi veniant? quod contendebat *Hugo Grotius*; Pietatis Hollandiæ & Westfris. pag. 53. Contradicebant *Sibrandus Lubbertus* in Præfat. ad XCIX. errores Vorstii, *Bogermannus* in Notis ad Pietatem Grotii, *Brandius* in Præfat. ad Colloq. Hagiense. & *Reformati* in Colloquio ipso pag. 84. & 482. nec non in *Actis Dordracenæ Synodi Sess. XLVII.* in Actione cum *Henrico Leone*, forum illud in disputationem vocante: Hodieque ab Antagonistis *Nicolai Vedelii, Triglandio, Revio, Votio*, aliisque Testimonium hoc in prima acie collocatur, quo *Constantini Magni* Episcopatum destruant.

Magna *Synodus Nicæna Canone V.* inter Eos, quos *lib. I. cap. VI. Ruffinus* recensuit, postquam vetuerat: *Ne quis Episcopus excommunicatum ab alio Episcopo, sive Clericum sive Laicum susciperet*; provocationem tamen concedit excommunicato ad plurimum Ecclesiarum cognitionem & decisionem, quando è vestigio addit: *Sanè, ne hoc aut iracundiâ aliquâ, aut contentione (ut fieri solet) injustè factum, remedium non haberet; decernunt: per singulos annos in singulis provinciis iterum ab omnibus Episcopis Concilia* agi debere, & de hujusmodi negociis judicari, ut si fortè ab uno iniquè aliquid gestum est, à cæteris emendetur: Si rectè, ut ab omnibus confirmetur. Hinc provocationes à Conciliis numero judicum minoribus, ad Concilia Majora, à provincialibus, ad Nationalia, à Nationalibus ad Universalia, quæ passim omnibus nota sunt, & ab *Athanasio Apolog. 2. pro fuga tua fol. 576. ed. græcol. fufius* deducuntur.

Inter exempla provocantium ab Unius Ecclesiæ particularis judicio ad plures, extat *Antiochenæ Ecclesiæ* provocatio ad *Concilium Apostolorum & Presbyterorum* Ierosolymis congregatorum *Act. XV.* non solum tanquam ad Matricem & seminarium Ecclesiarum totius Orbis: neque solum ad Apostolos, ut *Deo πρέσβυς* & infallibiles iudices; sed etiam ad Presbyteros & Seniores aliarum Ecclesiarum, illic commemorantium tanquam in Me-

tropoli & pharetra, è quâ alii jam emissi & dati erant Pastores Ecclesiis, alii indies emittebantur.

168
Paulus ipse
ad Extraneâ
diœcesin pro-
vocavit.

Ad hujus Synodi præcipua Capita etiam *Paulus Apostolus* accedebat, non quidem provocando ad eorum definitionem de fide adhuc sibi ipsi incompertâ, sed provocando ad eorum approbationem, & consensum transmarinis Ecclesiis ostendendum. *Ne fortè, inquit, in vacuum currerem aut cucurrissem Gal II, 2.* Quam provocationem *Hieronymus* miris modis extollit, eamque *ἀποδοκτοῖς καὶ ἰδιογνώμοσι* opponit in *Epist. ad Paulinum*, quæ *Vulgatæ* Bibliorum Versioni præmitti solet. *Quid loquar, inquit, de seculi hominibus? Cùm Apostolus Paulus, Vas electionis & Magister gentium, qui de Conscientia Tanti in se Hospitis loquebatur: An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? post Damascum Arabiamq; lustratam ascenderit Ierosolymam, ut videret Petrum, & manserit apud Eum diebus quindecim. Hoc enim mysterio bebaomadis & ogdoadis futurus Gentium prædicator instruendus erat: Rursumq; post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito exposuerit Apostolis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret aut cucurrisset.*

169

Hæc provocatio ad Extraneas diœceses sæpe & plarunqve fit ab hæreticis & Excommunicatis ipsis: uti supra de *Subjecto corripiente & corripiendo* ostendimus de *Novato & Pelagio*, provocantibus & provolantibus ex *Africâ & Palæstinâ* Romam: de *Ario, Nestorio, Eutychete* præoccupantibus per literas *Vicinorum & Exterorum Episcoporum* animos, ut ad schisma componendum necessariò faciendæ fuerint *Convocationes Synodorû* etiam *Extranearum* (quamvis ut plurimum in sede, vel etiam provincia, in qua hæresis primum excitabatur, fuerint coactæ:) in quibus & per quas innumeri heterodidascali excommunicati & condemnati, officiis suis exauctorati, & seculari Magistratui traditi sût, quod exemplis passim obviis cõstat.

170
Ejecti è suis
Ecclesiis per
sententiam
Extraneorû.

Hac vocatione *Lucifer* Calaris in *Sardinia*, *Eusebius* Vercellis in *Italia*, & *Hilarius* Pictaviensis in *Gallia* Episcopi, suas in *Orientem* excursiones, *Hæreticorum* illic *Doctorum* depositiones, *Orthodoxorû* *Investituras & surrogationes, Synodorum Convo-*

ca-

cationes, & Extraneorum Excommunicationes defendere poterunt. De quibus *Ruffinus lib. Primo histor. cap. 27. 28. seqq.* De *Luciferi* enim vocatione in *Ægypti Urbem Antiochiam* ait: quod invitatus ab *Eusebio Vercellensi*, ut, quia uterq; à *Constantio Imp.* relegati erāt in provinciam *Ægypto vicinam, Alexandriam commigrare*, vellet, ad *Athanasium in visendum*, communiq; tractatu cum residuis *Orthodoxis Sacerdotibus*, illic de statu *Ecclesie decernendum*; detrectaverit quidem congressum, & *Diaconum Legatum* pro se miserit; *Antiochiam* autem ideò perrexit, ut *dissidentibus ibi partibus*, sed in unam tamen revocari posse sperantibus, talem *Episcopum* ordinaret, in quem *plebs utraq; consentiret*. Unde apparet: *Alexandrinorum*, saltem quosdam, vocasse *Luciferum*, ut ordinaret *Paulinum*; Verum, an vocatio omninò legitima & sufficiens fuerit, eò, quod altera & quidem *principalior pars*, ut *Ruffinus ait cap. 30. etiam Orthodoxa*, in *Paulini* personam non consentiret, sed *Meletium* exulem, & pristinum *Pastorem* suum posceret, quem paulò post *Paulinum* introductum, *Eusebius Vercellensis* iisdem *Antiochenis* restituit, adeoq; *Duo Episcopi* in uno grege *Orthodoxo unius urbis* residere cæperunt, jam non disputo.

De *Eusebii Vercellensis* vocatione nihil invenio, nisi quod *Ruffinus* Cap. XXVIII, ait: Quod *Alexandriam* perrexit (quò *Luciferum* quoque invitaverat) ibiq; (ubi *Athanasius* Episcopatum gerebat) *Confessorum Concilium* congregaverit, qui pauci numero (subscripserunt XXII) sed *fidei integritate & meritis multi omni curâ & libratione* discussierint, quo pacto post *hereticorum procellas & perfidie turbines*, tranquillitas *Ecclesie* reducenda esset. Et Cap. XXX, sub finem: *Eusebius* verò circumiens *Orientem atq; Italiam*, *Medici* pariter & *Sacerdotis* fungebatur officio. *Singulas quasq; Ecclesias* ABJURATA INFIDELITATE ad sanitatem recte fidei revocabat; Maximè, quod *Hilarium*, quem dudum cum ceteris *Episcopis* in exilium trusum esse memoravimus, regressum jam, & in *Italia* positum, hac eadem erga INSTAURANDAS *Ecclesias*, fidemq; *Patrum* reparandam reperit molientem. Nisi quòd *Hilarius*, *Vir naturâ lenis & placidus*, simul eruditus & ad persuadendum commodissimus, rem diligentius & AP-

TIUS procurabat, &c. Ita Duo isti Viri, velut magnifica quaedam mundi lumina ILLYRICUM, Italiam, Galliasq; suo splendore radiarunt, ut omnes etiam de abditis angulis & abstrusis, hereticorum tenebrae fugarentur. Hæc Rufinus.

¹⁷² *Injussu Romani Ep.* Quod enim Baronius ad Annum CCCLXII. & post eum Baronius Tom. I. Concil. fol. 487. comminiscuntur: Athanasium indixisse Synodum hanc, hortatu & auctoritate Liberii Romani; Eusebium Vercellensem & Luciferum Calaritanum Episcopos, tanquam Legatos Liberii præsto illic fuisse, id non error, sed conceptus dolus est. Neq; enim non legerunt apud Rufinum, quod Eusebius motu proprio Alexandriam profectus fuerit, Lucifer autem præsentiam sui denegaverit cap. 27. Imò, nec decreta Concilii hujus acceptare voluerit, etiam si Legatum illic habuisset; neque etiam Athanasio, neque Eusebio communicaverit, eò, quod Eusebius Meletium Episcopum Antiochenis institueret, contra Paulinum à se institutum, et si neuter jurisdictionem illic instituendi Episcopos obtineret.

¹⁷³ *Secundus casus excommunicandi Extraneos, ad cavendam noxam gregis nostri.* Aliquando autem emergunt casus, ut Extranei etiam Episcopi & Ecclesiæ extraneæ per conscientiam obligentur, etiam non vocati ab illis Extraneis, succurrere pressis Ecclesiis per declarationem & defensionem doctrinæ Orthodoxæ, & damnationem heterodoxæ, nō solum ad præservandos greges sibi commissos, (quo jure Magistratus secularis prohibent in suis territoriis extraneam monetam, sive adulteratam, sive precio minutam: Quo jure etiam prohibent commercia cum hac vel illa civitate contagio infecta: aut banno proscribunt è suis provinciis, non solum singulares homines, verum etiam totas hostiles provincias) sed etiam præservandos aut liberandos alios fidei suæ domesticos, qui eandem, ejusdemque precii & venerationis fidem, ἰσότητιον πιστῶν acceperunt II. Petri I, 1. quorum spirituale damnum tenentur præcavere & avertere, ex communi nexu membrorum corporis mystici universalis inter se, I. Cor. XII, 13. 23. 25. 26: In uno Spiritu omnes

nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, &c. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem (curam) abundantiorum impendimus: ne sit schisma in corpore, sed membra in id ipsum pro invicem sollicita sint (τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεμεμνῶσιν: eodem fine mutuam curam gerant) Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur reliqua membra, &c. Neque enim dubium esse potest, quin Ecclesiæ Ecclesiis ad tantum opis ferendum obstrictæ sint, etiam naturæ jure, ad quantum quisque Terræ filius obstrictus est, ad liberandum bovem & asinum proximi è faucibus lupi, leonis, &c. Juxta legem, Exod. XXII. Tota difficultas est in moderamine succursus, ne malum fiat deterius. Aliquam enim universalem curam, ratione objecti & finis sic dictam, ut Unitas Spiritus, id est, consensus in doctrinæ & fidei confessione & professione publicâ, conservetur in vinculo pacis, incumbere singulis Doctoribus Ecclesiæ, tam manifestum est, ut nulla probatione indigeat: Tum ex necessitate extrinsecâ sive præcepti divini, Ephes. IV, 3. 4. seqq. & d. I. Cor., XII. Tum ex necessitate intrinsecâ, resultate ex indole Totius integralis homogenei. Neque enim harmonia sive communio Sanctorum, per universum orbem dispersorum, conservari potest, nisi harmonia Sanctorum in quavis particulari Ecclesia, in multis Ecclesiis. Unius provinciarum, plurium provinciarum, plurium regnorum, id est, partium integrantium totum illud homogeneum, conservetur. Quemadmodum integer chorus Musicus turbatur, quando solus fidicinum chorus discordat. Huic harmoniæ conservandæ tenentur omnes & singuli Doctores, nervos omnes intendere, & in Relatione ad hunc finem, incumbit eis cura de aliarum etiam Ecclesiarum orthodoxiâ conservanda.

174

Ista a. vicaria & subsidiaria administratio potestatis Ordinis, vel etiam jurisdictionis, quæ applicatur a Deo secundo ad hanc vel illam particularem Ecclesiam in specie, etsi (1) vel consentiente Ordinario, vel (2) deficiente illo, vel (3) ad requisitionem Ecclesiæ collectivæ, id est reliquorum Pastorum, & plebis, vel (4) ad mandatū superioris: vel (5) per legitimam missionem ad nondum convertos

li 3.

&c.

& infideles, vel (6) in casu extremæ necessitatis ubi doctrina & cultus orthodoxus sine extraneo auxilio conservari nequit: vel quæ denique (7) saltem non invito Orthodoxo & ordinario loci exercetur: Ista inquam nō est actus aut exercitium jurisdictionis universalis, quæ in singulis particularibus Ecclesiis resideat, neque actus jurisdictionis dioecesanæ, sed est commodatio auxilii spiritualis, tacite vel expresse rogati, aut Imperati à Deo, quæle erat illud, quod piscatores ex alterâ navicula rogati ferebant naviculæ Petri Luc. V. & quod Ierosolymitani ferebant Samaritanis Act. VIII, 14.

175
Succursus in
necessitate.

Et horum referenda sunt exempla Polycarpi Smyrnenfis, succurrentis Aniceto Romano, docendo & informando plebem in Aniceti diœcesi, apud Irenæum III. adversus Heret. c. 1. Cypriani, Osi Cordubensis, Athanasii, Luciferi Calaritani, Hilarii Pictaviensis, Eusebii Vercellensis, aliorumque Extraneorum, succurrentium Ecclesiis & Episcopis aliis, consilio, scriptis, voce, interpositione, transactione, intercessione, legatione, ordinatione & institutione Pastorum, examine & confutatione heterodidascalorum, condemnatione eorundem: uti de Theophilo Alexandrino testatur Hieron. Ep. LXXI: quod per illius Epistolas, post Christum Roma & tota Italia ab Origenistis fuerit liberata. Et de Appolliano Hierapolitano in Ægypto: quod circumiens Galatiam, Ancyra docuerit, & refutaverit hereticos consensu Episcoporum, Zottici à Vico Comano, & Juliani ab Apamia. Eusebius V, 16. Sive quum rogati essent ab oppressis Episcopis & Ecclesiis; sive suâ sponte hortantes, monentes, dehortantes, consolantes, corripientes. Quæ sunt officia charitatis mutua, non exercitia neque actus potestatis ordinariæ, sive ordinis sive jurisdictionis in aliena diœcesi, usque ad excommunicationem totius Ecclesiæ sive parochialis, sive provincialis pertinentes; Sed sunt operæ subsidiariæ in extrema necessitate & periculo animabus fratrum lata, ex communi lege & obligatione membrorum universalis Ecclesiæ inter se; Et cum primis Doctorum, quos universali etiam Ecclesiæ arctius obligari certum est, ad inclamandum & abigendum unum alterumque Lupum, un-

undecumvis imminentem, quàm obligatus est ullius Laicorum aut Idiotarum. *Ut enim cuius scienti bonum facere & non facienti peccato imputatur omissio, Jacobi IV, ult.* Ita silentium ejus Pastoris, qui clamore suo etiam à vicino ovili lupum poterat abigere, haut dubiè pro peccato ei reputatur, ob neglectam universalem legem inclamandi quemvis lupum.

Et hæc inclamatio lupi agrestis, ubicunqve depræhensi, extendit se usq; ad excommunicationem & damnationem. Censura enim in hæreticos, præcepta Doctoribus, sine distinctione diocæseon. *Rom. XVI. II. Tim. II. Tit. III. & c.*

Ex hac obligatione damnarunt *Lucifer, Calaritanus, Eusebius Vercellensis & Hilarius Pictaviensis* Arianos in Ecclesijs Ægyptiacis & Illyricis Latrocinantes. Ex hac obligatione, non ex universalis quædam, & Romano Episcopo propriâ jurisdictione, *Apollinaris Syri Episcopi* doctrina, de solo corpore, non anima humana à Christo in incarnatione assumptâ, & primò omnium, *πρωτον*, in Urbe Roma damnata est, convocato extra Laodicenam diocæsin Concilio; at non à Damaso solo, sed, ut *Rufinus testatur l. II, 20: A Damaso & Petro Alexandrino Episcopo Concilio congregato, talis sententia depulsa est, ut decreverint: Si quis Filium Dei, qui sicut verè Deus ita & verè homo fuit, vel humanitatis aliquid vel Deitatis minus habuisse diceret, ALIENUS ab Ecclesia haberetur.* Quæ sententia, inquit, & apud Alexandriam confirmata est, & apud Constantinopolim decreto Concilii. Ex illo tempore *Apollinariste* ab Ecclesia declinantes, & Episcopos sibi suæ partis, & Dogmata propria, Ecclesiasq; defendunt.

En exemplum damnatæ & excommunicatæ hæreseos Syræ, in Italia, Thracia, & Ægypto, anteqvam in diocæsi propria Censuram sustinisset. Exempla plura, non solùm institutorum Episcoporum ab Eusebio Samosateno & Athanasio in alienis diocæsibus, sed etiam ejectorum heterodoxorum, quoad declarationem inidoneitatis non per vim, legenda sunt apud *Basilium Epist. XVIII. XLVIII. LI. LVIII Theodoretum lib. V. cap. IV. & Marcum Antonium de Dom, lib. II. de Rep. cap. VII.*

176

Quisvis hæretici possunt excommunicari.

177

Hæretici extra suam diocæsin damnati.

Hoc

178 Hoc fatendum est enim: potestatem declarandi judicialiter, *hanc Bestiam esse Lupum*; Et potestatem arcendi, sive non admittendi hanc bestiam, ut misceat se gregi mihi commisso, per usurpationem Symbolorum & signorum, ex quibus oves inter se & ab aliis cognoscuntur esse oves; pertinere ad potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ, inesse atque competere unicuique Ecclesiæ provinciali repræsentativæ; ejusque habitum requiri ad sufficientem defensionem & præservationem cujusque Ecclesiæ provincialis à destructione; Quemadmodum sufficiens facultas defendendi statum suum, requiritur in omni Rep. Sed exercitium illius habitus & jurisdictionis, per leges prudentiæ Christianæ non est deducendum in actum, nisi post cognitionem Ecclesiarum totius regni, aut provinciæ non agnoscentis superiorē in hoc Regimine Ecclesiastico. Aut, si ex pacto ita convenerit, vel ubi exercitiū magnos motus in Rep. daturum esse apparuerit, non nisi *post cognitionem Ecclesiarum in pluribus provinciis*: juxta illud Apostoli: *juncto meo & Vestro Spiritu*; I. Cor. V. *omnia ad edificationem fiant*, I. Cor. XIV. *Dedit nobis potestatem Deus ad edificandam non ad destruendam Ecclesiam*, II. Cor. X. & c.

179 Heterodidascalias quidem actio, est popularis actio, & potest unusquisque de plebe notare, designare, inclamare, accusare lupum, eum denique convincere, Matt. VII. Atque cum primis hæc actio incumbit Pastoribus, Act. XX, 28. 29. Jes. LV. & LVI. At sententiam judicialem atque præceptivam ferre non possunt Laici de utroque: scil. Et lupum, & vitandum esse, id est, ordinariè non possunt Eum excommunicare, si hæctenus sub habitu ovis fuit admissus; Verùm ad hanc sententiam ferendam & exequendam, requiritur & sapientia & prudentia totius diœceseos, sive provincialis, sive nationalis, non quidem ob defectum jurisdictionis in singulis diœcesibus habitualis: singulæ n. Ecclesiæ particulares habent promissionem tantæ gratiæ, quanta requiritur ad designandum id, quod cavendum est; *sed quoad tempus & modum exercitii determinandum, ne triticum unà cum Zizaniis evellatur*, ut supra ostendi ex I. Cor. V. *juncto meo & vestro Spiritu*, & c.

180 Et ad hanc quidem sententiam legitimè tum ferendam, tum exc.

exequendam, requiritur profundius & exactius iudicium circa vitia doctrinae, quam circa vitia morum, tum evitanda tum corrigenda. Ratio est, quia morum vitia evidentius & latius patent per lumen naturae, & collata ad normam aequitatis naturalis: Ac detectio & convictio de vitiis doctrinae, requirit illuminationem supernaturalem, & dexteritatem artificialem, sive acquisitam eruditionem in convincendo, & prudentiam in emendando, vel etiam ad progressum & contagionem impediendam; quia haereticus probabilius & verosimilius se pingere, occultare, excusare & palliare solet ac potest, atque morum vitia; ideoque facilius hominum mentibus novitatis avidis se ingerit. Ac proinde major prudentia requiritur ad excludendum doctrinae quam morum contagium.

Hæc itaque exclusio sive excommunicatio præclusiva alte 181 rius, & præservativa gregis mei à communione cum lupo extra- Unde nasca- neo, est quidem proprie dicta excommunicatio exclusiva alterius à tur jus excom- cætu meo, & consequenter à cætu totius Ecclesiae Catholicae, pro- municandi pter consensum partis homogeneae cum toto homogeneo; sed non subditas, non est proprie dicta iurisdictio in aliena diœcesi: Est iurisdictio in hominem de aliena diœcesi, fundata in loco delicti, qui facit to- rum competens. Quia enim delinquit sparsione dictorum & scriptorum in mea diœcesi; hinc ex loco, in quo delictum ab ex- traneo committitur, nascitur & competit mihi iurisdictio ani- madvertendi in extraneum ex loco delicti mihi obligatum.

Quemadmodum depræhensa adulterina moneta, Cusor ejus, etsi individuum vagum & cognitum sit, notatur infamia eo in loco, ubi moneta ejus depræhenditur. Ipse autem depræhensus etiam in alieno territorio, sortitur hic forum, ob locum delicti.

Sic Theodor. refert l. V. c. 34. Episcopos Europæos separasse se à ca- lumniatoribus Joan. Chrysostomi, etsi Orthodoxis, qui in exilio ipsū mori coegerant. Hoc facinus, inquit, imprimis execrati sunt Epis- 182 copi Europa, & se ab Autorū communitate separaverunt; quorū partiē auxerunt accessione suā omnes Illyrici. Verum Orientales fugere qui- dem pleriq; & ipsi communitatem facinoris, sed corpus tamen Ecclesiae

non distraxerunt. Ac defuncto vitâ Doctore orbis terrarum (Chry-
 soltomo) non prius, communionē Orientalium & Ægyptiorum, itemq;
 Bosphori ac Thraciæ Episcoporum, admijere Occidentales, quam admi-
 rabilis illius Viri nomen ad reliquos defunctos Episcopos (in Diptycha)
 adscripsissent: Arfacium quidem, qui illi successerat, ne compellatione
 quidem dignati. Atticum verò, successorem Arfacii, post multas lega-
 tiones & petitiones pacis, tandem receperunt, quum ille Joannis Chry-
 soli, nomen reliquis asscripsisset.

183
 Quæ per se
 nocent fidei,
 excludanda
 sunt,

Posito etiam, quòd extraneus in animo non habeat mihi no-
 cendi, & vacet latâ culpâ, si meæ diocesi ab heterodoxia ejus da-
 mnum inferatur; Quia tamen rem suâ naturâ noxiam spargit, de
 qua scire eum oportebat, esse noxiam, nec decere se, ut talia spar-
 gat; æque tenetur, ac si fluvium ad irrigandum agros meos im-
 misisset, qui naturali fluxu & quantitate aptus natus est ad ever-
 tendos & perdendos agros meos; vel si leonem, lupum aut ca-
 nem rabidum immitteret gregi aut subditis meis: aut veneno
 fontes meos inficeret, animo dulcorandi vel sanandi eos. Judi-
 cium enim de qualitate talium dogmatum, & potestas excluden-
 di à meo cætu noxia dogmata, competit singulis etiam Ecclesiis
 particularibus ad tuendam suam integritatem: cæteris paribus.

184
 In exclusione
 prudentia
 adhibenda.

Facultas quidem solvendi & ligandi validè, facta est etiam
 duobus vel tribus congregatis in nomine Christi, Matth. XVIII. At
 circa exercitium, ne plus noceat, & pluribus quidem, quàm pro-
 fit, prudentia & suffragia multorum adhibenda sunt, ne jure illo
 & beneficiis, quæ hætenus tanquam pars homogenea in fruitio-
 ne communium beneficiorum totius homogenei possedit, teme-
 rè quisquam privetur, aut temerè illo privandus pronuncietur.
 Spoliare enim quenquam communi beneficio Onerare aliquem
 novis servitutibus: lædere famam & existimationem alterius, im-
 pactione reatus hæreseos, uti per se gravia peccata sunt, ita gravi-
 ora fiunt, si ex intempestiva declaratione, & declarationis execu-
 tione, triticea seges Christi damnum patiatur, & unâ cum Zizaniis
 evellatur, vel saltem incrementum segetis sistatur, Matth. XIII.

185 Unde consequens est, eos Autores, qui non peccarunt in no-
 stra

stra diœcesi, sive immediatè, sive mediatè per infectionem nostri gregis, propter heterodoxias & scandala permanentia tantùm intra diœceses extraneas, quale erat delictum *Joannis Hierosolymitani*; excommunicari à vicinis Episcopis non posse, nisi solo intuitu contagii, & vitii manantis actu primo, sive potentiâ proximâ, vel etiam actu secundo in subditos nostros. In quo casu nascitur jurisdictio mea in subditum non meum, ex loco delicti, ut dictum est. Et cum primis ac præcipuè ex officio Pastorum, ut gregi suo non solùm ostendant lupos, quæ bestia pro talibus habendæ & fugiendæ sint? sed moralibus armis, inter quæ est *Excommunicatio depulsiva seu defensiva*, etiam abigant & prohibeant eos, ne invadant gregem curæ meæ commissum.

Possunt etiam, & solènt, pro dolor, emergere casus, ut silentibus, vel etiam heterodoxis Episcopis diœcesanis, aut vicinis; in populum devolvatur necessitas separandi se à consortio suorum Episcoporum, & separandi sive abstinendi Episcopos à suæ consortio sacræ & communionis: quæ est realisima excommunicatio: Eaquæ sive *privativa*, quando Episcopus antea Orthodoxus, durante officio deficit in hæresin, uti tempore prævalentis Sectæ Arianae frequenter contingit; sive etiam *negativa*, quando plebi obtruditur Episcopus heterodoxus, qui in communionem cum Orthodoxis non fuit, isque non admittitur à plebe Orthodoxa, qualis erat *Synesius Ptolemaidis Episcopus*, reservans sibi facultatem negandi resurrectionem carnis, apud Nicephorum lib. XIV. cap. 55. *Ursacius, Valens, Eudoxius*, aliiq; Ariani repulsam passi. Quæ separatio mandata est Rom. XVI, 17. per imperationem: *ἐκκλίνετε*. Quomodo supra audivimus, plebem Alexandrinâ separasse se à communionem *Georgii Cappadocis*, qui obtrudebatur in locum Athanasii; sibiq; reservasse locum *Dominicum*, sive templum, etiam postquam militari manu *Syriani*, Præsidis Alexandrini, Athanasius de throno deturbatus, percussus, & pœne enectus esset. Neque solummodo protestatam fuisse plebem contra surrogationem *Georgii*, sed & arma, tela, gladios, quos *Syrianus* templo intulerat, & quibus Clerum populumque pariter afflixerat, quorum partem plebs in tumultu facto militibus extorserat, in templo suspē-

186

Tertius Casus

excommuni-

candi non

subditos.

187

disse, appositis excubiis custodiisse; ac tametsi Syrianus sæpè misisset Carnificem militarium ordinum, unà cum Duce, ut ea tollerent, à populo tamen prohibitos fuisse, ne signa Arianæ tyranidis non ad perpetuam rei memoriam extarent.

188
Tyranni ex-
torquent te-
stimonia mæ-
suetudinis.

Denique Syriano populum vi compellente, ut Testimonium ipsi scripto perhiberet; *Neq; tumultum ab eo factum, neq; occisum, qvenquam, cum manu hostili de possessione templi plebem turbare tentasset;* (quæ Testimonia Jesuitæ, aliiqve Romani cultus instauratores hodie à plebibus exigunt, iisque tanquam illustri anathemate superbiunt, ut ex *Pauli Laymanni justa Defensione*, sic inscriptâ contra antiquiores Ordines Monasticos, affatim est videre) Testimonium tale non solum non perhibuisse, sed instrumeto publico contra protestatos fuisse; *Se alium Episcopum Alexandrinum præter Athanasium non agnoscere, nec templo cedere, nec Georgio communicare velle.* Protestatio extat *Tom. I. Opp. Athanasi fol. 856. ed. Comel. Græcolat.*

189
Excommuni-
catio Realis
per plebem
facta.

Sic à *Joanne Hierosolymitano*, de hæresi Origenis (etsi nullâ conciliari sententiâ tunc temporis damnatâ) suspecto, non solum plebem Hierosolymitanam separasse se, sed Epiphaniï studio inquam plurimis etiam aliis particularibus Ecclesiis Dogmatistas barbarum opinionum à communione exclusos fuisse, testis est *Hieronymus in Epistola adversus errores Joannis Hierosol.* quæ inscripta est *Pammachio*; nec non *in seqq. ad Theophilum Alex.* Etsi processum, quem Epiphanius, extraneus Episcopus, & Hieronymus Joannis subditus, in conficiendo negotio hoc ingressi sunt, per omnia non approbo; neque Epiphaniæ ἀλλοτριοεπισκοπίας alia exempla laudo, quæ in Constantinopolitana Ecclesia in odium & necem Joannis Chrysostomi designavit, excitatus à Theophilo Alexandrino, qui itidem æmulabatur Joannis facundiam & eruditionem, de quibus illaudatis affectibus *Socrates lib. VI. à cap. 9. ad 18.*

190
De populo Constantinopolitano refert *Sozomenus l. VIII. c. 23. 24.*

24. quod Arfacio in locum Johannis Chrysoftomi successo noluerint communicare, etsi Nectarii, Antecessoris Chrysoftomi frater, & cetera orthodoxus esset, tantum, quia in Joannis exilium consenserat. Quæque dira passæ propter ea fuerint nobiles quædam & opulentæ matronæ, præcipuè *Nicaretæ Bithyniensis*, & *Olympias* Ecclesiæ ministra, *Eutropius lector*, *Tigrius Presbyter*, aliique separatos cum plebe ab Arfacio conventus sacros facientes, prolixè illic legere est. De Paschatis festo in publico balneorum loco per Christianos orthodoxos celebrato, postquam templo vi publica ejecti erant iidem Chrysoftomi fautores: testatur idem *Sozomenus* *ibid.*, c. 21.

De populo *Samosateno* commemorat *Theodoretus* lib. IV. cap. 14 quod Eusebio Episcopo orthodoxo de sede suâ pulso, & surrogato Eunomio Ariano, nemo ex civibus voluerit communicare, etsi Arianus vitam degeret inculpatam. Nemo, inquit, ex Urbis incolis, sive pressus egestate, sive divitiis affluens, famulus vel artifex, Agricola vel Confitor, vir aut mulier, juvenis aut senex, ad conventum Ecclesiasticum, ut moris erat accedere voluit, licet diceretur vitam apud eos valdè modestè instituisse.

De populo *Cartaginensi*, & plebe *Africana* in universum testatur *Cyprianus*, quod in Ecclesia etiam constitutâ, totâque Orthodoxâ, plebs concurrentem cognitionem de meritis & qualitate excommunicandorum & absolvendorum habuerit, & suffragium quidem assertivum tacitè tulerit, facultatem autem suffragiû negativû expressè ferendi palàm exercuerit, si quid adversus excommunicationem, vel excommunicati absolutionem excipiendum putaret. Hoc constat ex Epistola ad Cornelium superius etiam allegata, quæ est 3. lib. I. (Pamel. LV.) quæ increpat Cornelium, quod excommunicatos in Africa, admiserit ad suam communionem sub prætextu, tanquam Cyprianus in his recipiendis nimis asper & rigorosus esset.

Kk 3

Ost

Cypriani fa-
cietas & po-
puli Zelus.

O si posses, frater Charissime, istuc interesse nobiscum, cum pravi isti & perversi de schismate revertuntur; videres, quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, ut animi dolore sopito, recipiendis malis curandisque consentiant. Vix plebi persuadeo, imò extorqueo, ut tales patiantur admitti: Et justior factus est fraternitatis dolor ex eo, quod unus atque alius obnitente plebe & contradicente, meâ tamen facilitate suscepti, pejores extiterunt, quàm prius fuerant. Delictis plusquam oportet remittendis pœne ipse delinquo: amplector promptâ & plenâ dilectione cum pœnitentiâ revertentes, peccatum cum satisfactio-
ne humili & simplici confitentes.

193

De populo Romano idem testatur Clerus Romanus in Epistola ad Cyprianum de Gaio Liddensi & aliis, qui lapsis vel etiam excommunicatis nondum reconciliatis communicabant, lib. V. Epist. 13. Pamelio XXX: Et Moses ac Maximus Presbyteri, Nicostratus & Rufinus Diaconi Romani, apud eundem Cyprianum l. V. Ep. 125. Pamelio XXVI. quæ est responsoria de eodem argumento; quod, uti excommunicatio fiebat cum consensu plebis, ita absolutionem & receptionem in communionem nō oporteat nisi cautè moderateque tractari, consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, & ipsis stantibus Laicis.

194

Populi auto-
ritas.

Idem Clerus Romanus de iis, qui minacibus literis restitutionem exegerant. *Quantò meliores ipsorum literæ fuissent, (ajunt) si pro ipsis preces stantium (Scil. Laicorum) humilitate ipsorum adjunctæ fuissent?* Idem Clerus sequente Epistola XXXI. apud Pamel. al. l. V. ep. 7: *Placet, inquit, quod & ipse tractasti prius, Ecclesiæ pacem sustinendam: Deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus pariter ac stantibus Laicis factâ, lapsorum tractare rationem. Perquàm enim nobis & invidiosum & morosum videtur, non per multos examinare, quod per multos commissum videatur fuisse: & UNUM sententiam dicere, cum tamen grande crimen per multos diffusum notetur exisse. Quoniam NEC FIRMUM DECRETUM ESSE POTEST, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.* Ad hunc locum Cypriani digna est legi Annotatio Simonis Goulartii, opposita Pamelianæ glossæ, intempestivè
qui-

quidem huic loco allitæ, *de incompetencia suffragii Laici in Conciliis*: quandoquidem hic de consilio in causa recipiendorum hæreticorum & lapsorum agitur.

Tertulliani etiam ætate suffragia populi accessisse ad excommunicationem & Absolutionem, patet ex *Apologia* Cap. XXXIX quando ait: *Affidentibus probatis quibuscumq; Senioribus, firmiter & recto iudicio percussos fuisse excommunicandos.* 175

Origines de potestate Ecclesiæ collectivæ, in abdicando Pastore heterodoxo; occasione *Achanis* è medio sublatis *ad cap. 7. Josuæ*, more suo ad allegoriam, de abscindendâ manu scandalosa conversus, sic ait: *Ego qui videor Tibi manus esse dextra, & Presbyter nominor, & verbum Dei videor predicare; Si aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam & Evangelii regulam gesserò, ita ut scandalum tibi, Ecclesia, faciam: In uno consensu Ecclesia univèrsa conspirans excidat me dexteram suam & projiciat à se. Expedi enim tibi, Ecclesia, absq; manu tua introire in regnum cælorum, quàm mecum ire in gehennam.* 176

Et passim etiam in *Canonibus Gratiani* repetitur, quòd *Ovis in causa fidei judicare possit Pastorem, imò etiam gladio excommunicationis ferire. Can. ovesque. 13. 2. q. 7. Oves quæ Pastori suo commisse sunt, eum nec reprehendere (nisi à recta fide exorbitaverit) debent, nec ullatenus accusare possunt: Quia facta Pastorum ovium gladio ferienda non sunt, quoniam rectè reprehendenda videantur.* Glossator & Summator *Joannes Andrea* Canonem hunc etiam ad accusandi facultatem de vitiis morum extendit, quando ait; *interdictum intelligendum esse de criminosis & infamibus subditis, qui vitam Prælatorum parati sunt reprehendere, non imitari.* Hæreseos autem actionem esse popularem non est dubium. *Et exceptio NISI, dat facultatem, non solum reprehendendi, sed etiam feriendi pastores à fide exorbitantes, ovium gladio.* 177

Et hæc pro ratione instituti nostri sufficiant de causa, & simul de vicio excommunicationis ex defectu fori vel judicis competentis, de quo etiam supra §. VII ubi de subiecto corripiente, & *Breviarii pag. 356. seqq.* nonnulla attigimus; 178

Nunc

199 Nunc de meritis ipsis, & de moderatione hujus epitaeseos fraternæ, tum ex Regula æquitatis, sive in respectu ad merita, tum ex Regula prudentiæ, sive in respectu ad finem & utilitatem publicam, pauca sunt adjicienda.

200 Merita ipsa quod attinet, notum est ex locis Theologicis: Vitia scandalosa tum in doctrina, tum in moribus, iisque accedentem pertinaciam & incorrigibilitatem, esse objecta adæquata hujus censuræ Ecclesiasticæ, uti exemplis *incestuosus I. Cor. V. Hymenæi, Phileti, Hermogenis* aliorumque blasphemantium cœlestem veritatem I. & II. ad Tim. Cap. 1. constat.

201 Successu temporis ad privatas offensas, præsertim in Episcopos, Clericos, aut eorum ministros designatas, vindicandas adhiberi cæpisse hanc censuram, eaque propter viluisse, ex Gratiani quoque Decreto apparet, tota *causa 24, & 26. q. 6.* Ex Concilio Metisconensi secundo sub finem seculi sexti celebrato citat Gratianus *Canonem XV: Si quis secularium vebitur eqvo sublimis, & Clerico pediti obviam factus fuerit, non illico ad terram defluat, & galero de capite sublato sinceræ salutationis munus Clerico exhibeat, ad tempus ad sacra communionem excludatur.* Ob furtum rei parvæ, ob damnum exile etiam jumentis & canibus venaticis Episcoporum illatum, aut si quis lædentem non detegat; si quis Romipetas ulla ratione moretur in via, &c. his fulmen Excommunicationis imminere, patet ex Decretalibus Gregorii IX. *de sentent. Excommunicationis.* Et commentatoribus *Bulle* quam *Cæna Domini* vocant, in qua ordine recensentur, quos, quales, & quibus de causis Romanus Episcopus die Viridium soleat excommunicare.

202 Inter Gravamina Nationis Germanicæ Anno Christi MDXXII. in Comitibus Noribergensibus, Legato Adriani VI. Francis. Cheregato, à Statibus Romano Cathol. exhibita §. 25. 26. 27. & hæc legere est: *Es werden viel Christen Menschen zu Rom / auch an andern Orten / ꝛ. umb zeitlicher Sachen und Guts Willen gebannt / auch also umb zeitlichen Gelds und Guts wegen / und offst gar umb gering Ding / umb Seel / Ehr / Leib und Gut bracht / ꝛ. Item daß ic*

zu Zeiten etlich Personen in einem Flecken mit Unbil-
 ligkeit vermeintlicher Weise gebannt worden / damit
 nicht allein dieselben / sondern auch ihre Nachbarn / die
 solcher Ding ganz nichts zu thun haben / oder verwand
 sind / beschweret werden / indeme die Officiäle von den
 Nachbarn / als Partecipanten dringen / was sie von dem
 Selbstacher nicht haben können / &c. Item: so ein Pfaff /
 oder ander geweihte Person erschlagen / wird. nicht al-
 lein der Thäter verbannet / sonder auch die Stadt / &c. in-
 terdicirt / und so lange interdict gehalten / auch kein
 Christlich Werck vollbracht / bis der Thäter oder die Ge-
 meine Abtrag thue. Notæ sunt causæ Excommunicatorum
 hoc seculo. *Venetorum*, quod vulturum Monasticorum rapacita-
 ti in deglutiendis fundis limites posuissent, & mille alia.

Prætereo schismata in una provincia & regno, imò in una
 urbe prognata ex nimio rigore, nō in exigenda professione & con-
 fessione aperta & dilucida & plena: sed ex rigore vindicandi er-
 roris aut delicti in hoc vel illo individuo, quoad vitæ vel famæ
 dispendium patiendum & faciendum. Intueamur homicidia,
 vivicomburia, cadaverum effossiones, & combustiones, bella, se-
 ditiones in sola Italia, ex sola Excommunicatione Romanorum Epis-
 coporum inter se ortas, quando etiã post obitū, mortui à successori-
 bus excōmunicati, nepotes aut Amicos vindices reliquerunt: Quæ
 censura intempestiva nullam quidem utilitatem Ecclesiæ potuit
 afferre, damna verò nunquam excusanda. Legantur apud Onu-
 phrium, & Anastasium Bibliothecarium Res gestæ Liberii & Felicis
 secundi; Donati & Ursicini; Bonifacii primi & Eulalii; quarto à Chri-
 sto nato seculo, quo debebant esse optimi & prudentissimi & mo-
 destissimi Pontifices; Symmachi & Hormisdæ, sub finē seculi Quinti.
 Sylverii & Vigili seculo sexto; Joan. Quinti, Cononis, & Sergii, seculo
 septimo: Zacharie, Stephanorum, Theophylacti & Philippi Antipapa-
 rum, mutuò se excommunicantium: Formosi, Stephani Septimi,
 Theodori secundi, in cadavera mutuam savientium. Ut de intem-

pesti

pestivè excommunicatis Romanis Imperatoribus ea fileam, quæ lippis & tonsoribus notissima sunt, etsi Gnathones Pontificum, tanquam de re præclare gestâ gloriari & tripudiare in his soleant. Vid. Gratiani Decretum *Can. Duo sunt. 10. Dist. XCV. Bellarmini, Svaris, Andreae Eudemono Joannis, Baronii Polemica contra Joannem Marsilium, Paulum Servitum, & Barclaios.*

204. Neque inficior, etiam Orthodoxos & pios Doctores in hoc genere prudentiæ & modestiæ Ecclesiasticæ, sæpe & frequenter defecisse, non quod nimium cunctarentur & formidarent de suscipiendis aut recipiendis in communionem iis, qui corpore & confessione in cætibus hæreticis fuerant, & ad Ecclesiâ revertebantur; sed quod nimis præcipites & faciles essent in aliis à sua, vel se ab aliorum communionem separandis; inter quos una eaque orthodoxa communio hætenus obtinuerat: & quod in alienas dioceses & dioceseon Episcopos Jurisdictionem & censuras usurparent. Hoc vitium inde ab origine Christiani nominis immensas strages Ecclesiarum, & ipsius quoque pietatis dedit, etsi pietatis nomine & prætextu designaretur. *Vide Theodoret. l. V. c. 33. 34. seqq. de Excessibus Theophili & Cyrilli Alexandr.*

Moderationem pœnæ pro quantitate excessus, Antiqua etiam
205. Concilia insinuare voluerunt, constitutione *diversorum graduum pœnitentiæ iis*, qui etsi solenniter excommunicati non essent, ad communionem tamen cum orthodoxis non admittebantur, sive propter communionem frequentatam cum Idololâtris, sive etiam cum hæreticis: ut pro modo communionis, *si metu, si minis, si plenâ, aut semiplenâ voluntate, si hilari aut tristi habitu corporis & cultûs, si semel aut sæpius, si cum repentina aut tardâ pœnitentiâ, quisquam communicasset; si leve aut grave damnum vel tulisset ipse antequam communicaret, aut dedisset communicando.* Ista omnia Concilium *Ancyranum* in Galatia, ante Nicænum anno CCCVIII. ut quibusdam videtur, coactum *Can. 2. 3. 4. 5.* definivit, & in spuris *Canonibus Nicænis n. 18. 19. 28. 31. 32. 47* repetuntur.

206. De iis, qui cū hæreticis *Arianis vel Sabellianis* communicaverant, sive ad pacem solam, sive in pristinum etiam ministerii locum recipien-

cipiendis, seu denique à communione Orthodoxâ, post confessi-
 onem erroris & professionem orthodoxam planè non arceadis,
 definivit *Synodus Alexandrina Episcoporum XC* (etsi pauciores subscri-
 pserint) ab Eusebio Vercellensi, & Athanasio convocata, ita; ut
soli heresiarchæ, & dogmatistæ, sive dolosi propagatores hæreseos ab
 officii restituendi spe caderent, cæteri *etsi Episcopi, etsi Presbyteri,*
&c. qui sive metu, sive spe cito transituræ nubecule, & ad præservandas
Ecclesias à præfectura Noteriorum heresiarcharum, communicaverant
cum hereticis, pœnitentiam quidem agerent & faterentur se peccasse; à
communione tamen neq; suspenderentur neq; arcerentur. Quod A-
 thanasius expressè extendit ad *συνδεξιόντες*: ad seqvaces, & cur-
 rentes cum Arianis in *Epist. ad Rufinianum Tom. 2. Op. Græcolat.*
Comel. fol. 46: Placuit omnibus presentibus, etiam externarum pro-
vinciarum Episcopis, similiter etiam apud eos qui in Græcia sunt nostri
comministri, nec minus apud eos, qui in Hispania degunt, & omnibus
tàm hic quàm ubiq; alibi constitutis: ut iis, qui in hæresin prolapsi, ejus-
dem etiam CAPITA ac Defensores fuerunt, (περὶ ἁμῶν) Resipiscen-
tibus quidem venia detur, nullo vero modo locus inter Ordines Ecclesi-
asticos. Si verò, qui impietatis autores non fuerunt, sed necessitate quâ-
dam in hæresin abstracti sunt, non solum veniam consequantur, sed & lo-
cum in ordine Ecclesiastico obtineant. Imprimis hanc ob causam, quod hi
probabilem facti sui causam attulerunt, & visum fuit hoc quasi œcono-
micè factum. Confirmarunt enim, se non projectos fuisse in hæresin;
at verò, ne impii quidem in locum illorum successi Ecclesias penitus ever-
terent, maluisse se potius συνδεξιὸν τῆς βίβλου, concedere violentiæ heret-
icorum, & perferre communionis onus, quàm ut plebs penitus everte-
retur. Propterea quod & videretur ipsis ad stipulari AARON MO-
SIS FRATER, qui cum consensisset populari transgressioni in deserto,
Apologiam hanc attulerit: Quod consensisset, ne populus reversum in Æ-
gyptum parans, perpetuæ Idololatriæ implicaretur. Verisimile enim
erat, si in deserto detinerentur, posse eos reduci ab Idololatria: Si verò
in Ægyptum redirent, continuaturi & aucturi essent in se ipsis hanc im-
pietatem. Hac igitur de causa etiam de illis Clericis decretum est, qui
aliquam vim passi & seducti sunt, veniam illis esse dandam. Quot quot i-

gitur resipiscunt, apertè hæresim execrentur, nominatim verò Evzoi & Eudoxii perversa dogmata, &c.

207 Deinde statutum est : ut causarum merita justâ lance expenderentur, neque per injustam excommunicationem cuiquam injuria, aut Ecclesiæ damnum crearetur. Constitutionem hanc legere est in *Nicænâ Synodo Can. V.* edit. Græcol. è Cod. Vatic. primò quidem : *Ne quis Episcopus, si excommunicandus videretur, ordinariè & regulariter nisi à Synodo Provinciali aut nationali excommunicaretur.* Deinde : *Si quisquam ab ordinario suo injustè se excommunicatum quereretur, inquirendum (ait) ne similitate aut aliqua contentione aut simili quodam vitio (ἀνδία) Episcopi, quisquam exclusus fuerit (ἀποσυνάγωγῃ γεγένηται) ut hoc igitur decentem habeat discussionem, bene futurum visum est, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Synodos fieri, ut communiter omnibus Eparchiæ Episcopis congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic, qui ὁμολογῶμενως peccaverint suo Episcopo, justè apud omnes à communione exclusi censeantur, donec communi Episcoporum consilio placuerit mitiorem de illo ferre calculum.*

208 Secunda editio Canonum, sed Latina, judicium de restituendo excommunicato, sive mitiore calculo ferendo, alternative committit Concilio Episcoporum, vel Episcopo ordinario : Alphonsus autem Pisanus in edit. *XXC. Canonum Nicænorum*, quos antiquitas ignoravit, Can. 6. pro appellatione ad Concilium Episcoporum, substituit appellationem gravati ad Archiepiscopum vel Patriarcham, quum tamen illa ætate Patriarchatus nondum constituti essent.

209 Genuinum autem Canonem Nicænum paulò post approbarunt Concilia *Antiochenum & Sardicense* eodem seculo celebrata. *Antioch. Can. VI.* apud Bin. fol. 338 : *Si quis à proprio Episcopo communionem privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo : Aut certè ad Synodum quæ congregatur recurrens, se purgaverit, & persuasâ Synodo aliam sententiam tulerit.* Addit : *Hac autem constitutio obliget Laicos & Presbyteros & Diaconos, omnesque quos sub Regula Episcopi esse constat. Ergo Episcopus eximitur à judicio*

Provocatio
ad Synodum.

dicio

dicio unici Episcopi, à quo excommunicari possit, & pro prima instantia remittitur ad Synodum.

Sardicensis Can. 17. sic habet: *Hosius Episcopus dixit: Quod me admodum malè habet, tacere non debeo. Si quis Episcopus existat ad iracundiam proclivis, & cito adversus Presbyterum vel Diaconum commotus, ex Ecclesia quemlibet ejicere voluerit, providendum est, ne is repente condemnetur aut communionem privetur. Omnes dixerunt: Qui ejicitur, facultatem habeat confugiendi ad Episcopum metropolis ejusdem provinciae; Sin autem metropolitanus abfuerit, finitimum ad-eundi, atq; rogandi, ut ipsius causa diligenter cognoscatur. Ille verò Episcopus, qui jure vel injuriâ istum ejecit, comiter ferre debet, causam cognosci, ipsiusq; sententiam vel confirmari vel corrigi. Priusquam tamen singula examinata fuerint, is, qui communionem privatus est, ante causæ cognitionem non debet suo sibi jure communionem vindicare. Innumeri sunt hujus argumenti Canones, quos Romani Latrones simul omnes conculcarunt.*

Cæterum, quid de gravitate intrinseca culparum, ob quas quis excommunicandus est, Antiqua Concilia definiierint; Videlicet, non ob quæcunque levia morum vitia, sed adversus sola scandalo-losa cum morum, tum doctrinæ vitia, eaque publica, hoc antidoto esse utendum, plura apud Gratianum legenda sunt. *Dist. L. Can. de his verò & seqq. & 24. q. 1. c. Audivimus.* Nec non apud Hieronymum *in c. 23. Jerem. & 24. Ezechielis*, ubi queritur: *Separari oves quæ congregari debebant, dissipari injustè.* Gregor. Nazianz. *Orat. de Moderat. in Diss. adhibenda.* Chrysost. *de Anathematis.* Baronio ipso agnoscente Tom. I. An. 57. ap. Spencæum *Digress. XIII. in Epist. ad Tit. & cum primis apud Lutherum Tom. I. Jenensi de Banno fol. 28. seqq. & Tom. V. in Commonitorio ad Ecclesiasticos Anno MDXXX, in Comitibus Augustanis congregatos.*

Calvinistas tamen, aliosque manifestos & inveteratos hæreticos, sermonem illum Chrysostomi de non anathematizandis mortuis, in quavis fere chartâ jactantes, sermo iste nihil juvat.

Sententia pri-
ma instantia
tandiu obti-
net, donec re-
formetur.

211

212

Loquitur enim de vivis quidem corrigibilibus: De mortuis verò, qui in visibili communione notoriè Orthodoxæ Ecclesiæ defuncti erant, quod hi post mortem temere non essent anathematizandi: quomodo Theophilus Alexandrinus, Chrysofostomi æmulus, Originem Adamantium ducentis annis post obitum anathematizaverat. In quæ dicta videtur hæc oratio, uti ex collatione historiae Socratis & Theodoretis satis clarescit. Adde ipsius Chrysofostomi *prolepsin* ex illo sermone: *Hæreticus, ajunt, factus est ille, inhabitantem habet Diabolum, multos in profundum perditionis abduxit. &c. Sane, inquit, propter hoc à patribus ejectus est maximè, quia Magister ejus partem quoque Ecclesiæ abstulit; Intellego Paulinum aut Apollinarem.* Incorrigibiles autem & pertinaces seductores, quòd non vetuerit Chrysofostomus anathemate percutere, patet ex eodem sermone, quando Judam & similes proditores jure excommunicari & anathemate percuti docet. Judam, inquit, & alios, qui sicut ille exciderant, tandiu non abjecit Christus, quousque se ipsum quisque abductum errori mancipavit: *Ἄχρησθ' ἑαυτὸν ἐλκύσας ἕκαστος τῇ πλάνῃ παρέδωκεν.* De Doctoribus autem Calvinisticis jurantibus in Sectæ illius dogmata quis negabit, quod se traderint illi Sectæ? Quomodo de habitualiter malis pronunciat Apostolus: *Quod ἑαυτὸς παρέδωκεν τῇ ἀσελγείᾳ Eph. IV. Ib. Apostoli hæreticos ejiciebāt ex Ecclesia, quasi effodiendus esset dexter oculus. Quæ tempestiva membri defectione, magnā suam compassionē demonstrabāt.* Iterū in fine illius sermonis: *Dogmata enim hæretica, præter ea quæ accepimus, (ita enim sonat in Græco. Ftoonto Ducæus hic dormitavit, Anonymo interpreti filius) anathematizare oportet, & impia dogmata arguere: Omnem verò conniventiam hominibus tribuere (πᾶσαν δὲ ψειδῶ ἀνθρώπων ποιείτω) & orare pro ipsorum salute. Tertium requisitū sive tempus excommunicandi quod attinet,* totus Liber Tertius Augustini *contra Epistolam Parmeniani* Donatistæ, totamque illam Sectam, quæ propter facinus incertum Cæciliani Carthaginensis Episcopi, à cōmunionem Ecclesiæ Catholicæ se separaverat, occupatus est in hoc argumento; *Suspendendam veletiam omittendam esse excommunicationem fontium, si schisma in tota communitate, aut majus malum quàm est toleratio paucorum,*

rum,

rum, inde oriturum appareat: Neque propterea, quod quidam peccatores non excommunicantur, deferendam esse communionem externam cum innocentibus, inter quos ille vel illi fontes vivunt. Exordium libri hoc est:

Cum omnis pia ratio & modus Ecclesiasticæ disciplinae Unitatem 214 Spiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri, quod Apostolus sufferendo invicem præcepit custodiri: & quo non custodito, medicina vindicta non tantum superflua sed etiam perniciofa, & propterea jam nec medicina esse convincitur; Illi filii mali, qui non odio iniquitatum alienarum sed studio contentionum suarum, infinitas plebes jaçtantiâ sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant, superbiâ tumidi, pervicaciâ insani, &c. ne luce veritatis carere ostendantur, umbram rigidae severitatis ostendunt: Et quæ in Scripturis Sanctis, salvâ dilectionis sinceritate, & custodiâ pacis unitate ad corrigenda fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem præcisionis usurpant, dicentes: Ecce, ait Apostolus, Auferte malum ex vobis ipsis, &c. Noli communicare peccatis alienis, &c.

Ad has & similes paræneses Apostolicas respondet Augusti- 215 nus, Eas duplici modo impleri: Uno per separationem moralem, cujusque fidelis à consortio vitiorum, quando contingit, ut aliquos malos ab Ecclesiæ congregatione separare non possit, & idè tolerare eos cogatur: Altero per exclusionem localem peccantis à reliquo grege, quæ tunc demum intelligatur præcepta, quando Zizania sine læsione frumentorum separari possunt.

Capite II. argumentatur ad hominem; primò ab ipsorum Do- 216 natistarum factò, qui à Carthaginensi quidem & Catholica Christi Ecclesiâ cætus suos separaverant, dum Cæcilianum Episcopum, ob traditos libros orthodoxos non excommunicatum, sed in possessione Ephoriæ & administrationis toleratum fuisse causabantur, suum met autem hæresiarcham, Optatum Gildonianum, manifestorum criminum reum, citra censuram Ecclesiasticam inter se tolerabant, cumque eo non solum in mensis suis, sed etiam in mensa Dominica communicabant.

Deinde

Schismatici
in suis dissi-
mulant quod
exagitant in
Orthodoxis.

Deinde arguit eos exemplo Cypriani, cuius rigorem Donatistæ
 217 cum primis objiciebant: Sanctissimum illum Episcopum, non Laicos,
 non alterius Ecclesie Clericos, sed suosmet Collegas libero ore ac calamo
 corripuisse, prudenterq; ac sobrie saluberrimæ mordacitatis medicinam
 eis inculisse, quòd esurientibus in Ecclesia fratribus, illi habere argentum
 largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, usuris multiplican-
 tibus fœnus auferent, &c. Et his talibus tamen Cyprianum non
 solum in Ecclesie unitate, sed etiam Collegii consortio junctum man-
 sisse, quamvis ab eis vitâ, moribus, corde, proposito discreparet.
 Quomodo ergo, (inquit) Cyprianus, & alia frumenta Dominica, in illa
 tunc unitatis Ecclesia cum avaris & rapacibus, cum his, qui regnum
 Dei non possidebunt, non Laicis vel quibuscunq; Clericis, sed & ipsis Epis-
 copis panem Domini manducabant & Calicem Domini bibebant? cum
 idem Apostolus præcipiat non commisceri eis, & clamet; cum ejusmodi
 nec cibum sumere? An, quia non poterant ab eis corporaliter separari, ne
 similiter eradicarent & triticum, sufficiebat eis à talibus sejungi vitâ mo-
 ribusq; distingui? propter compensationem custodiendæ pacis & unita-
 tis: propter salutem infirmorum & tanquam lætentium frumentorum,
 ne membra Christi per sacrilega schismata lacerarent.

Tandem regulam statuit, juxta quam Apostolico præcepto
 218 I. Cor. V. *Auferre malum de medio vestri, morem gerere oporteat.*
Auferre ma- In hac, inquit, velut angustia quæstionis, non aliquid novum aut insolitu-
lum I. Cor. V. tum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesie: Ut, cum quisquam fra-
 trum, id est, Christianorum, inus in societate Ecclesie constitutorum, in
 aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur;
 fiat hoc, **UBI PERICULUM SCHISMATIS NULLUM est, atq; id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens: NON UT I-
 NIMICUM EUM EXISTIMETIS, SED CORRIPITE UT FRATREM.** Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum.

219 Pergit: Quod si se non agnovorit, neq; pœnitendo correxerit, ipse
Oportunitas ferus exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesie unitate dirimetur.
excommuni- Nam & ipse Dominus, quum servis volentibus Zizania colligere dixit,
candi. finite utrumq; crescere, usq; ad messem: præmisit causam dicens, Ne for-
 tē cum velitis colligere Zizania, eradicetis simul & triticum. Ubi satis
 osten-

ostendit: Quum metus iste non subest, sed omninò de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet: Id est, quando ita cuiusq; crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat Defensores, per quos possit schisma contingere; non dormiat severitas disciplina, in quâ tantò est efficacior emendatio pravitate, quantò diligentior conservatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine lesione frumentorum fieri potest, quum congregationis Ecclesie multitudo, ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est.

Paulò post: Neg, enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum nempe idem morbus plurimos occupaverit; nihil aliud boni restat, quàm dolor & gemitus, ut per illud lignum, quod Ezechieli sancto revelatur, ille servadere ab illorum vastatione mereamur.

Iterum: Et reverà, si contagio peccandi multitudinem invaserit, Divinae Discipline severa misericordia necessaria est: Nam consilia separationis, & inania sūt & perniciofa, atq; SACRILEGA. Quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos quàm corrigant animosos malos. Sicut enim ille fidelissimus testis avaritiæ Collegarum (Cyprianus) cum ea mala tribulationum quæ patiebatur illo tempore Ecclesia, censura divina & disciplina tribueret, commemoratis quos noverat Episcoporum pessimis moribus, qui esurientibus fratribus habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, &c. quid non, inquit, perpeti tales pro peccatis huiusmodi mereremur? &c. Ita misericorditer corripiat homo quod potest: quod autem non potest patienter ferat, & cum dilectione gemat atq; lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat: aut usq; ad messem differat eradicare Zizania, & paleam ventilare. Ut tamen securi de salute sua, bonæ spei Christiani inter desperatos quos corripere non valent, in unitate versentur; auferant malum à seipsis: id est, ut in ipsis non inveniat, quod in moribus aliorum displicet.

Postea respondet ad testimonia Prophetica à Parmeniano Augustini objecta: Quid paleis cum tritico Jer. 23. Exite ab ea populus mi Jes 52 resp. ad object schismaticorum. Non sedi in Concilio vanitatis Psal. 26. &c. Per eandem distinctionem

M m

nem rium.

nem inter separationem in moralem & corporalem: & porro, inter separationem corporalem peccantis, si absque majore damno separari ab Orthodoxis potest, & inter separationem integrorum catuum à se invicem. Capp. 3. 4 & 5. Novit, inquit, hæc ponere Parmenianus, & non curat advertere, quemadmodum his verbis sine ullo divisionis nefaria sacrilegio serviatur. Species enim domus Dei & locus claritatis in vasis est, non in omnibus quæ tamen in unâ domo sunt, sed iis, quæ sunt in honore sanctificata, Domino utilia, &c. In his quisquis dilexerit speciem domus Dei & locum tabernaculi claritatis ejus, tolerat ea, quæ sunt in contumelia, nec propter hoc relinquit domum, ne fiat ipse, non vas in contumelia, quod tamen toleratur in domo; sed stercus, quod de domo projicitur, &c. Isti autem sunt infelices, qui se ab omni malorum congregatione, tanquam triticum à paleis purgatos esse presumunt.

Docuit autem omnium seculorum experientia; Nullam
 223 propemodum majorem cladem illatam fuisse paci & tranquillitati Ecclesiæ, atque per censuras, (1) incompetentes ratione fori
 Damna in- (2) illegitimas ratione meritorum, aut processus, (3) intempestivas
 tempeſtiva (4) ratione circumſtantiarum loci, temporis, personarum, earumque
 excommuni- executiones.
 cationis.

224. Nonnullos etiam Orthodoxos Episcopos maluisse cum Ario modestius actum, & rogasse Alexandrum, ut Arium excommunicatum in gratiam reciperet, ad exhibitam fidei professionem, Apostolico Symbolo longo luculentiore, & quæ Imperatori ac nonnullis Episcopis etiam Orthodoxis satisfecerat, apud Socrat. l. II. c. 26. Historici omnes affatim testantur. Atque ipsa Constantini ad utrosque scripta Epistola. Nonnullos etiam Orthodoxos initio detrectasse anathema dicere Ario, etsi doctrinam Arianam damnarent, tantum ideò, quod in modo procedendi nimis præcipitanter cum Ario actum videretur, legere est apud Euseb. lib. II. de vita Constantini à Capite LVI. ad finem libri. Rufinum lib. I. cap. 1. seqq. Socrat. lib. I. cap. 5. seqq. cap. 6. in fine, & cap. 14. sub finem.

Hieronymus a. censet, celerius & statim fuisse opprimendum Arium, Comment. in cap. III. ad Galat. quod certè fieri oportuit sive per
 re-

reconciliationem, quæ oppressio propriè non erat: sive per interfectionem, sive per interceptionem in carcere, ut neque voce neque calamo docere posset.

Sanè Theodoretus I. Cap. 2. expressè docet: *Gradus admonitionum ab Alexandro omninò fuisse præmissos ad emendandum Arium; sed cum incorrigibilis esset, & vulgo ac domatim impietatis præconia spargeret, aliosq; ad idem factitandum sublegeret; Tunc Alexandrum secutum legem divinam, movisse eum ordine sacerdotali, dextrumq; oculum, qui offendiculo esset, ejecisse: Tam diversa fuerunt & illà ætate de processu cum Ario instituto judicia. Eusebius, Rufinus, Socrates, Sozomenus majorem certè in Alexandro modestiam requisitam fuisse ajunt; sed Alexander Dæmoniacum Arii ingenium magis perspectum habuit; ut satius fuisset, Arium abditissimo carcere fuisse seclusum.*

Quid Meletianum, Quid Apollinaristarum, Quid Luciferianum schisma promovit, nisi intempestiva excommunicatio? apud eundem Socrat. d. lib. I. cap. 5. l. II. Cap. 46. lib. III. cap. 5. 6. 9. & 16. Et hi ipsi Doctores *Meletius, Apollinaris & Lucifer*, multos ex Orthodoxis Scriptores, ipsumq; Hieronymum Defensores habebant, quoad dogmatis innocentiam; qui schisma tamen nequaquam approbabant.

Neque negare possunt Pontificii: Romanos Episcopos & illegitimè quoad processum, & intempestivè quoad prudentiæ Romanus leges, & immeritò quoad causam (addo, & nulliter, ob jurisdictionis defectum) exclusisse *Asiaticas & Africanas Ecclesias* à sua communione. Illas quidem, ob servatam Paschatis solennitatem decimâ quartâ lunâ cū Judæis; Quod *Victor* audebat, propter à *Polycrate Ephesino, Irenæo Lugdunensi* & aliis jure reprehensus, apud Eusebium lib. V cap. 24. 25. seqq. *Socratem* lib. V. c. 21. *Sozom.* lib. VII. cap. 19. Verba Eusebii sunt: *Romanus quidem Episcopus Victor, confestim totius Asiæ paræcias unâ cum vicinis Ecclesiis, tanquam aliena sentientes, à communionis unitate abscindere conatur, invehiturq; in eas per literas, ac cunctos illic fratres, prorsus excommunicatos denunciat: Verùm hoc non omnibus Episcopis placebat: sed hortabantur eum, ut quæ*

lenitatis & dilectionis cum proximis essent, sentiret. Quod Socrates prolixius est profecutus lib. V, c. 22. ostendens per inductionem; Quomodo inter Novatianos, orthodoxos, Arianos, Eunomianos, aliasq; Sectas, per precipites censuras, easq; corporalem separationem svadentes, schismata enata fuerint. De Victore Romano autem ait: Quartadecimanos ab illis, qui Paschatis festum alio die celebrabant, nunquam discrepasse quoad communionis commercium, donec Victor Romanus Episcopus, immodicè vehemens, excommunicationem Quartadecimanis decrevit.

229 Has verò, i: Africanas Ecclesias excōmunicare conatus est Stephanus, non quidem per interdictum, ne ipsæ mutuo inter se communionem servarent & continuarent, quod non poterat; sed per subtractionem & denegationem Romanae communionis, quæ jure Christiani commercii, sive jure gentilitio Christianorum, hæctenus mutuo exhibebatur ab Africanis & Italicis Ecclesiis. Scripsit (ait Euf. lib. VII. cap. 5.) Stephanus primùm de Heleno & Firmiliano, cunctisq; per Ciliciam & Cappadociam & Galatiam, & universis conterminis gentibus: Nec illis SE communicaturum, propter eandem banc causam, quod videlicet hæreticos rebaptizarent.

230
Stephani Ro-
mani temeri-
tas.

Sed (ut de nullitate nunc taceam, ob fori incompetentiam, & defectum ordinis juridici: ut de intempestivitate quoque taceam, quæ in medio persecutionum æstu juvabat dissipationem Ecclesiarum;) ostendit collatio quæstionis motæ ac propositæ Stephano, in Epistola Dionysii Alexandrini Episcopi, & determinatæ à Cypriano in Epistola ad Jubajanum, quæ est LXXIII. apud Pam- melium: Stephanum non satis apprehendisse merita, neq; statum quæstionis, quem Dionysius longè aliter formaverat ac Cypri- nus. Ad hunc Stephanum (sunt verba Eusebii lib. VII. cap. 2) Diony- sius primam ex Epistolis de Baptismate scribit, quæstione haut modicâ tum temporis motâ: An debeant, qui ex QUAVIS hæresi convertun- tur, baptismate repurgari? cum priscus mos esset, sola oratione erga il- los, cum manuum impositione uti.

Cyph

Cyprianus autem non afferebat rebaptizandos esse ex QVA-
 VIS hæresi conversos, sed baptizatos ab hæreticis, qui plenam & ad-
 matã Trinitatẽ negabant, & modò in nomine Jesu Chr. baptizabãt,
 Christi a. divinitatẽ negabãt, ut verba Epistolæ n. 16. expressè habent.
 Quæ diversitas postea à Conciliis Laodicensi & Nicæno attendita, &
 per distinctionem adeò definitum fuit: Baptizatos à Paulianistis
 & Cataphrygibus, qui & negabant Trinitatem, & Trinitatis menti-
 onem in administratione omittebant, baptizantes solum in no-
 mine Christi, omninò esse baptizandos: Baptizatos autem à Macedo-
 nianis, Arianis, &c. qui & ipsi quidem Trinitatem negabant, Bapti-
 smi tamen ablutionem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti
 dabant, non esse rebaptizandos, ideò, quòd hi institutioni Christi sa-
 tisfacerent factò, etsi non mente; Illi autem neq; factò nec men-
 te satisfacerent. Ita Synodus Laodic. Can. 8. Nicæna Magna Can.
 12. al. 19. Quæ distinctio postea repetita fuit in Synodo, quam sex-
 tam generalem vocant Can. 95. nec non in ea, quam septimam gen.
 appellat, Can. 7. Cujusmodi multa in Corpus juris Canonici trans-
 lata sunt; & concordantia Discordantium Canonum illustri ex-
 emplo per hanc quæstionem comprobata est, Dist. IV. de consecra-
 tione, in qua repugnantes Episcoporum Rom. & Conciliorum
 sententias, plerasq; ex neglectu veri statû quæstionis ortas, affa-
 tim est legere.

Peccavit autem Stephanus non solum ex temeritate circa
 merita causæ non satis perspectæ, sed etiam ambitione, quòd suæ
 communionis subtractione, aliis exemplum præscribere conatus
 est, ut illi similiter à suâ communionem tot illustres Ecclesias ex-
 cluderent. Utrumque vitium castigavit Cyprianus Epist. LXXIII
 & LXXIV. castigavit Firmilianus Casaræ Cappadocum Episcopus
 Epist. LXXV. ad Cyprianum scripta, ubi ait: Stephanum hæc in-
 competente censurâ suâ tam bene de Ecclesiis fuisse meritum, quàm bene
 Judas Proditor perfidiâ & proditione suâ; quòs sceleratè circa Sal-
 vátorem operatus est, ut per illum mundus & gentium populus li-
 bëraretur.

232
 Ambitio ejus-
 dem Stephe-
 ni.

Mm 3 Ubi

233
Frustra excu-
satur à Pame-
lio.

Ubi notanda obiter *Pamelii* Sycophantia est, detorquentis ea, quæ *Dionysius Alexandrinus* de pace & concordia inter Ecclesias Orientis commemorat, apud *Euseb.* lib. VII. cap. 5. ad consensum Orientalium cum opinione *Stephani*, quasi *Dionysius* scriberet: *Orientales sentire cum Stephano, dissentire à Cypriano.* Quum tamen inter mutuo consentientes Orientales, *Helenu* *Tharsensis*, & *Firmilianus* jam nominatus à scribente *Dionysio* commemorentur. Hi enim illi ipsi sunt, quibus *Stephanus* comminabatur, se eos ad suam communionem non admissurum; quique hac de causa *Romani* *Flaminis* audaciam literis castigabant.

234
Quin & *Dionysii* Epistolæ omnes eò tendunt, ut *Stephanum*, *Xistum*, aliosque Romanos Episcopos à schismate propter hanc causam faciendo dehortentur. Itaque mox ab illis verbis comminatoriis, quæ ex *Stephani* Epistola *Dionysius* allegaverat; Quod nempe *Heleno* & *Firmiliano* non esset communicaturus, monet successorem *Stephani*: *Considera autem hujus rei magnitudinem! Revera namque in maximis Episcoporum Synodis decretum est, sicut audio, eos, qui ab heresi aliqua veniunt, primum denuò instituendos esse, deinde abluendos, & à veteris impuritate fermenti sordibus repurgandos. eod. cap. V. apud Eusebium.* Nunquid hæc tantundem sonant, atque omnes Orientales facere cum *Stephano*?

235
Et *Augustinus II.* contra *Cresconium* cap. 16. objectantem *Cypriani* opinionem de rebaptizandis lapsis: per eandem distinctionem respondet: *Hoc discernitur (ait) apud nos, ut aliter recipiantur qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus venerunt. Cyprianum autem excusat, quòd ab illorum communiione, qui aliter sentiebant, sese tamen non separaverit, quod arrogans ille Romanus Stephanus factitabat, ac propterea castigabatur. Ead. distinct. utitur ad defendendum Cyprianum lib. V. de Bapt. contra Donatistas cap. 25. & lib. VI. cap. 1. 2 seqq. Ubi Epistolam ad *Jubajanum*, in qua opinionem suam *Cyprianus* proponit, defendendam ex instituto*

236
Laudatur *Cy-
priani* prudē-
tia præ *Ste-
phano.*

suscepit. Iterum, contra *Petilianum* lib. de unico Bapt. Cap. 14. *Volo, inquit, solvat mihi iste Questionem, quandoquidem Romane Ecclesie per ordi-*

ordinem commemoramus Episcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quem Episcopatum illibate gessisse confessus est. ^{cc}
 Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, ve- ^{cc}
 rum etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes, excommuni- ^{cc}
 candos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypri- ^{cc}
 ani literæ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace ^{cc}
 permansit. Ecce duo erant uno tempore, qui diversa sentiebant. ^{cc}
 Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Car- ^{cc}
 thaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Ca- ^{cc}
 tholica constituti. Quum Stephanus baptismum Christi in nullo ^{cc}
 iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: ^{cc}
 Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam ^{cc}
 non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catho- ^{cc}
 lica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam consen- ^{cc}
 tiebant, utriusque cum eis in unitate consistentes. ^{cc}

Canon, Ad hoc 7. Distinct. LXXXIX. Gratiano teste desump-
 ptus est ex Epistola *Bonifacii secundi Rom. P. ad Eulalium*, sive Ale- ²³⁷
 xandrinum, sive Thessalonicensem Episcopum, quæ Bonifacius ^{Bonifacii se-}
 iste affirmat: *Aurelium & Augustinum, cum Collegis suis* (qui erant ^{cundi pruri-}
 Eugenius, Alipius, Evodius, Possidius, aliique Sanctissimi Viri) ^{tus Schisma-}
instigante Diabolo superbire cepisse contra Romanam Ecclesiam, tempo- ^{ticus in Augu-}
ribus prædecessorum nostrorum Bonifacii ac Cælestini (scilicet, quod in ^{stinum,}
 Concilio Africano Cap. CI. & seqq. prohibuissent appellationes fieri
 à Synodis Africanis ad Romanam Sedem: & in Epistola ad Cælesti-
 num, typhum superbum hujus seculi ipsi objecissent) Sed, inquit Papa
 Rom. Videns Eulalius, se modò peccatis Aurelii à Romana Ecclesia
 communionem segregatum, humilians recognovit se, pacem & communio-
 nem Romanæ Ecclesie petens, subscribendo una cum Collegis suis damna-
 vit Apostolicam auctoritatem omnes scripturas, quæ adversus Romanam Eccle-
 sie privilegia factæ a quoquo ingenio fuerunt.

Hæc Bonifacius anno Christi DXXXII. eoque ostendit: Ro-
 manam Synagogam Ecclesias Africanas integris propè C. annis habuit ^{238?}
 se pro excommunicatis, atque in eis Aurelium & Eugenium Carthagi-
 nenses, Augustinum Hipponensem, Evodium, Alipium, Possidium, Victo-
 rem

rem Uticensem, Fulgentiū Ruspensem, omnesq; illos Martyres, qui interea defuncto Augustino, in persecutione Vandalica sanguine suo Deum glorificarunt.

239
Baronii &
Binni impu-
dentia.

Quamobrem *Baronius* in Notis ad Martyrolog. Rom. d. XVI oct. & in Annalibus ad Ann. CCCCXIX. nec non ad An. DXXX. eumq; secutus *Binius* in Notis ad illam Epist. Bonifacii Tom. 2. Concil. p. 1. fol. 644. Gladio Delphico, solenni istis gladiatoribus, nodum secare aggrediuntur, de plano mendacium & figmentum vocitantes illam Epistolam, quam *Gratianus*, quam *Antoninus Florentinus* (unus Sanctus) in Summa, quam *Antonius Augustinus* Tarraconensis Archiepiscopus, in notis ad *Canonas Hadriani. cap. 12.* quam *Surius & Gabbius, & Peltius & Carranza* in ed. Conciliorū suorū; quā *Thomas Hardingus* in Disp. contra Ivellam Art. IV. Sect. 28. quam *Gvilelmus Lindanus* Ruræmundensis Episcopus *Panoplie lib. IV. cap. 89.* quam *Jesuita Costerus* Enchirid. cap. 3. resp. ad 10. aliiq; Heroes agnoverunt esse authenticam. Et Costerus quidem, persecutionem Vandalicam, & subactionem Afrorum sub potestatem Vandalorū, justo Dei iudicio Afris illatam fuisse addit, propter hanc defectionem à Romana Ecclesia. *Jacobus* autem *Pamelius* ejusdem societatis Criticus, Formulam hanc reconciliationis, quā *Eulalius* à *Bonifacio* post schisma culpam deprecatus est, commendat tanquam argumentum impeccantiæ, quod Romana sedes in fide nunquam peccare possit, quin potius ad hujus normam aliorum omnium errores sint corrigendi. not. 91. ad Epistolam LV. *Cypriani*. Non constat autem aliunde de ulla Reconciliatione *Eulalii* cum *Bonifacio*, nisi ex hac *Bonifacii* Epistola.

Costeri im-
probitas,

240
Roma Pan-
dora omnis
Schismatis.

Quot & quantas turbas dederint hæ & similes censuræ Romanorum Pontificum, tum intempestivæ, tum plarumq; injustæ; Quot urbes, quot regna everterint, quantam cladem Christianæ fidei intulerint, quot populos, quot illustres Ecclesias impietati Saracenicæ subjecerint? longum esset recensere. In confesso est; omnes & singulas Ecclesias ab Apostolis plantatas, præter Romanam, totumq; Orientem propter Schisma Græcorum & Romanorum, à fide Christiana ad Muhammedis impietatem pertra-
ctas

tas esse, Quam cladem Romani quidem frequenter Græcis ex-
probrant, tanquam argumentum vindictæ divinæ, ob non agni-
tam Monarchiam Romanæ Ecclesiæ, atque ipse etiam *Bellarmin.*
lib. 2. de Christo cap. 30: At causa proxima schismatis reverâ fuit,
ambitio & arrogantia Romanorum Pontificum, excommuni-
cantiû eos, qui se jurisdictioni Romanæ Ecclesiæ subicere detre-
ctabant: Cujus ambitionis prima signa extulit *Victor*, mox altero
post Christum seculo territans *Asianus* Ecclesias minis execratio-
nis & excommunicationis publicæ. Cui se opposuit *Polycrates* *E-*
pbesius apud Eusebium lib. V. c. 23. supra allegatus, *Ego, inquit, qui se-*
xaginta quing. annos in Domino vixi, qui multis cum fratribus per or-
bem dispersis de fide communicavi, his quæ nobis ad tentandum objici-
untur, minimè conturbor.

Nicolaus autem Papa I. *Ep. IX. apud Binium T. 3. Concil. parte. 2.*
fol. 448. post annos *DCCCLVIII.* à Christo nato, tanquam de re o-
lim à *VICTORE* præclare gestâ gloriatur adversus *Michaelem Im-*
peratorem, quod solenne sit Romanæ Ecclesiæ, excommunicatio-
ne aliarum facere schismata, etiam si Romanis nulla paritio præ-
stetur. Hac fini allegat primo *Apostolum Petrum* excommunican-
tem *Simonem Magum*; postea *Victorem excommunicantem omnes*
Ecclesias Asiaticas, et si *Joanne Evangelista* autore, quartâ decima lu-
nâ *Pascha celebrandum* putarent; postò *Felicem*, excommunican-
tem *Acacium* seculo V. *Agapitum* excommunicantem *Anthimum*
Constantinopolitanos Episcopos, seculo VI. &c.

241
Gloriatur de
conciato
schismate.

Sed quia de *Victoris* exemplo cæpimus dicere, audiamus
Nicolai I. jactantiam: Deinde, cum *Asiani OMNES* inter ceteros,
Evangelista Joanne Autore quartâ decimâ lunâ cum *Judeis* putarent
Pascha celebrandum, Hos *Præsul* meritis & nomine *VICTOR* à commu-
nione Collegii separavit: At illi *OMNES* cum nonnullis *Ecclesiarum*
Præsulibus non solum huic manus minimè præbuerunt, verùm etiam per-
tinacia redarguerunt. *Felix* quoque, *Papa Constantinopolitanum Acaci-*
um non solum deposuit, verùm etiam insolubilibus *Anathematis* vincu-
lis innodavit; sed adeò est contemptus, ut idem *Acacius*, mundi *Dilecto-*
rum tuitione protectus, etiam nonnullis *Romanis Pontificibus* deceden-

242
Romani fa-
tentur, com-
munionem
Sanctorum
servari, se ex-
clusis.

tibus, & officio sacerdotali juxta precedentem consuetudinem fungere-
tur, & exceptis paucis, OMNIUM ORIENTALIUM COMMU-
NIONE frueretur, &c. Post commemoratam denique Agapeti
in Anthimum irritam censuram, addit: His ergo, de pluribus sedis
Apostolicæ magnis & præclaris Recloribus carptim commemoratis, quid
mirum, si nos pro Photio condemnimur (quem Nicolaus deponere &
excommunicare tentaverat) cum videamus, Apostolorum Principem
pro veritate contra Simonem defensa, etiam mortem subire? Quid mi-
rum, si nobis pro Ecclesiastica CORREPTIONE laborantibus manum
non datis, sed & duritiis redarguitis, cum videmus VICTOREM Papam
pæne à TOTIUS ECCLESIAE PRÆSULIBUS pertinaciæ redargutum?
Ita Romani Episcopi proptiã Turpitudinẽ allegando, quod à to-
tius Ecclesiæ Præsulibus pertinaciæ redarguti, non cesserint tamen, de
ambitione sua gloriantur.

243

Africanum schisma genuit Cornelii & Stephani RR. PP., arro-
gantia à Cypriano, à Pompejo, ab Heleno & Firmiliano repressa: A Zo-
simo, Bonifacio, Cœlestino aucta, sed Aurelio, Augustino, Alipio, a
aliisqve Africanis Episcopis mascule retusa & profligata, ut n.
228. seqq. vidimus.

244

Hoc Cypria-
no constanter
docuit.

Certè profectò, quæ Jacobus Pamelius, in notis ad Cypriani E-
pistolam Cornelio inscriptam, ipsi num. LV. (al. lib. I. ep. 3.) Bellar-
minus II. de Rom. Pont. c. 16. Baronius ad Ann. Chr. XXXII. n. 203. a-
liique Gnathones passim jactitare solent, pro obedientiã Uni Oe-
cumenico Episcopo, ab aliis omnibus per orbem Episcopis, Cle-
ricis & fidelibus præstanda: Neq; enim aliunde hereses obortæ sunt,
aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtempe-
ratur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex, vice
Christi cogitatur, &c. Id αλλοτρησις κοπία Romanam tam a-
pertè jugulat, ut nihil potuerit dici clarius in arrogantiam Corne-
lii Romani, recipientis Felicissimum & Fortunatum Presbyteros, à
communione Cypriani Episcopi sui abstentos.

245

Hoc ostendit Cyprianus non decuisse Romanum Episcopum,
sed quemadmodum Cyprianus schismaticos, Novatiano Antipa-
pæ Romano contra Cornelium adhærentes, ut; Maximum Presby-
terum,

terum, Augendum, Machæum, Longinum, Urbanum, Sidonium, Macarium, aliosque, de quibus Epistolæ XLI. XLVI. XLVII. L. LI. apud Pamelium agunt: *ideò à sua communione arcuerat, quia à Cornelio non admittebatur*; ita oportere etiam Cornelium, ne admittat eos, quos Cyprianus Judex ordinarius in sua diœcesi, à communione arcuerat. Itaque de quovis diœcesano Episcopo loquitur, quòd ob obedientiam huic negatam oboriantur schismata; non de Episcopo Oecumenico; Quod sequentia verba illius ipsius Epistolæ n. 16. ap. Pamelium, postquam Cyprianus Romanæ Ecclesiæ, qualis tunc erat, tanquam partis homogeneæ Catholicismum, id est, consensus cum aliis per orbem Ecclesiis, commendaverat, perspicue docent. *Cum, inquit, statutum sit OMNIBUS NOBIS, & æquum, sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa ILLIC audiatur, ubi est crimen admissum; & SINGULIS PASTORIBUS portio gregis adscripta sit, quam regat UNUS QVISQUE ac gubernet, rationem sui actus Domino (non Romano Episcopo) redditurus; oportet utique, eos quibus præsumus, non circumcursare (ut Felicissimus & Socii Carthagine Romam curritaverant) nec Episcoporum concordiam coherentem suam subdola & fallaci temeritate collidere; SED AGERE ILLIC CAUSAM SUAM, ubi & Accusatores habere & testes sui criminis possunt.* (En temeritatem Cornelii taxatam, quæ causas alieni fori ad se trahere satagebat, per absolutionem Schismaticorum qui in aliena diœcesi peccaverant, ibique judicari debebant!) *Nisi, si paucis desperatis & perditis MINOR VIDETUR ESSE AUCTORITAS EPISCOPORUM IN AFRICA CONSTITUTORUM, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vincetam, judicii sui nuper gravitate damnarunt.* Nota Sarcasum in provocantes ad transmarina Romanensium judicia, & in Romanenses ipsos, blandientes sibi in prorogatione jurisdictionis suæ! Quem typhum sequentibus etiam verbis fugillavit, quum ait:

An ad hoc, frater charissime, deponenda est Ecclesiæ Catholice dignitas, ut judicare velle se dicant de Ecclesiæ proposito extra Ecclesiam, constituti? (de Cypriano, nempe, Felicissimus, Fortunatus, aliique,

N n z

Ro.

Sarcasum in
Romanam se-
dem.

246

Romam cursitantes) *quid superest, quam ut Ecclesia CAPITOLIO cedat?* Cæcum esse oportet, qui non videat, Cyprianum urgere, jus suum diœcesanum, & distinctos limites parœciarum; & quod Cornelius nulliter processerit, absolvendo, & ad communionem admittendo eos, qui in foro ordinario ligati erant.

247 *Castigatio Stephani Romani, ob illegitimam censuram.* Cornelium & Lucium secutus est in Romana sede Stephanus, qui schisma apertum & popolare certissimè provocaturus erat, in-tempeſtiva exclusione Africanorum à communionem sua, si in faſtuosum aut iracundum Adversarium ineidisset: At Cyprianus, ut paulò ante ex Augustino audivimus, non patiebatur se excludi à communionem propter diversas opiniones de rebaptisationem baptizatorum ab hæreticis S. Trinitatem negantibus. Interà verò non dissimulabat; Stephanum, quantum in se erat, apparatus omnem ad schisma attulisse. Ita enim Cyprianus ad Pompejum, ita Firmilianus & Socii ad Cyprianum; ut Hominis Itali stupendam arrogantiam egregie depictam & depexam illic videas. *Quia desiderasti* (habet initium Epistolæ ad Pompejum Sabratensem Episcopum) *in noticiam tuam perferri, quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit; nisi Tibi rescripti ejus exemplum: quo lecto magis ac magis errorem ejus notabis, qui hæreticorum causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cetera vel SUPERBA, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ IMPERITE atq; improvidè scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo A QVACUNQUE hæresi venerit ad nos; nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus ei imponatur ad pœnitentiam &c. A QVACUNQUE HÆRESI venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, OMNIUM HÆRETICORUM baptismata justa & legitima esse judicavit. Et, cum singule hæreses singula baptismata & diversa peccata habeant; HIC cum omnium baptismo communicans, universorum delicta in sinum suum eo acervata congeſſit, &c.* Postea exagitat Traditionis auctoritatem quam Stephanus prætexebat: quæ singula merentur à Studioſis Theologiæ attentè legi.

248 Firmilianus autem sequente ad Cyprianum Epistolâ, quæ est appd-

apud Pameliū LXXV. ait: Stephanum suā inhumanitate hoc effecisse, ut Africanæ Ecclesiæ tantò arctius coëant, & Romanensium præceptis tantò minus obediant. Tām bene meruisse Stephanum audacia & insolentia suā de Ecclesiarum salute, quā benè meruit Judas proditor, &c. Ut supra quoque allegavimus.

249

Postea scismatis impietatem ex controversiæ levitate ostendit, mox subdens: In cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholice pace atque unitate aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper Antecessores ejus Vobiscum, amore & honore mutuo custodierunt. Mox oratione per apostrophē ad Stephanum conversā, sic eum adorat: Volentibus vivere causa mortis fuisti, & insuper indignaris? Vide quā IMPERITIA reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur? &c. nisi quod imperitos, etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, &c. Lites & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum verò quam magnum Tibi exaggerasti, quando TE à tot gregibus scidisti? (excidisti enim teipsum, noli TE fallere:) si quidem ille est verè Schismaticus, qui se à communione Ecclesiastica unitatis apostatam fecerit: Dum enim putas omnes abs TE abstinere posse, solum TE ab omnibus abstinuisti, &c. Pergit:

Romanus seipsum excommunicat, quando alios nulliter excommunicat.

250

Mox infit sarcasticè: Apostoli mandata & monita salutaria quā diligenter Stephanus implevit? Quid enim humiliter aut lenius, quā cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem? modò cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modo VOBISCUM qui in meridie estis. A quibus Legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret:

Adbuc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati

Stephani in Cyprianum hostilitas.

Nn 3.

hosti-

rusticitas.

hospitium negaretur? Hoc est servasse unitatem Spiritus in communionem pacis: abscindere se à charitatis unitate, & alienam se per OMNIA à fratribus facere, & contra Sacramentum & fidem contumacis furore discordiæ rebellare!

251 Quid poterat ante hos mille quadringentos annos falsius fundi in ulcus illud Romanæ ambitionis jam tunc pullulascentis, atque hi Græci Episcopi sales? (erat enim Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, prædecessor Magni Basilii, & quæ Baronius ipse ad ann. CCLVIII. n. 47. doctissimum & sanctissimum Virum vocat.) Unde patet: Romanam audaciam & proterviam in faciendis schismatis, jam illo Tertio seculo Ecclesiis Orientalibus & Meridionalibus fuisse exosam, Romamque fuisse fundum omnis calamitatis Ecclesiasticæ & Politicæ inter Christianos. Unde novelli nostri Pacifices habeant, Romam hodie factam esse æquioram, ipsi viderint. Qui Acta Concilii Tridentini legerunt, qui Pontificum Bullas & Constitutiones exinde per Barbosam & Gavatum collectas, qui septimum librum Decretalium, qui Caraffæ Germaniæ sacræ instauratæ, qui Legati Pontificii actiones in nuperis Monasteriensibus de pace publica Tractatibus: qui moderni Papæ Innocentii Decimi Bullam Cassatoriam Pacis Osnabrugi & Monasterii pactæ, Romæ d. XXVI. Novembris Anni MDCXLVIII. publicatam, ibique, Neapoli, & Viennæ typis publicis editam: uno verbo, qui teruncio lavantur, istud non credunt. Legendi autem sunt de his Cypriani Epistolæ Simon Goulartius in Notis Pamelio oppositis, & Marcus Antonius de Dominis IV. de Rep. cap. 8.

252 *Seculo Quarto promovit & dilatavit hoc schisma non parum Julius Romanus, qui tametsi causæ Athanasianæ faveret, & Athanasius ob Constantii Imperatoris potentiam, Romæ auxilium sibi querendum existimaret; offendit tamen etiam Orthodoxos Episcopos, quod Julius ex Orientalibus Ephoriis auderet citare accusatores Athanasii, & sententiam tanquam Judex de litibus alibi præventis & pendentibus ferre. Ideoque in Concilio Antiocheno*
XCIX,

XCIX. Episcopi convenientes, inter quos XXXVI. Eusebio Nicomediensi Ariano dediti, cæteri Orthodoxi erant, Athanasium, non solum *ab incompetente iudice, & contra juris ordinem absolutum,* & consequenter non absolutum esse decernunt; sed Julium etiam increpant, quod falcem suam in alienam messem miserit, & sententiam à Synodo latam, *solum cum suo Clero* reformare conatus fuerit: cum *ex statuto Nicenæ Synodi, Synodica conclusa, per alias Majo- res Synodos, non per Unius particularis Ecclesiæ iudicium oporteat emendari.* Eiqve acerbam scribunt Epistolam, ad quam *Julii Responsio* extat in *secunda Apologia Athanasii pro fuga sua.* Et de Julii patrocínio, ob fori incompetentiam magis noxio quam proficuo fidei confessori Athanasio, testantur *Socrates lib. II. cap. XI. Et Sozom lib. III. cap. 3. qui fori & ordinis incompetentiam* restitutioni Athanasii obfuisse, *Arianamq; hæresin adeo promovisse,* apertis verbis profitentur.

Romana ambitio nocuit Athanasio.

Ratio, quam Orientales allegabant, cur Julio nulla compe-²⁵³ teret cognitio, erat *sexto Canon Nicænus,* de distincta jurisdictione Patriarchalium Ecclesiarum, & præiudicium sive paritas Exempli: *Quemadmodum enim Orientales non disputabant objectionem Novati à Romana Ecclesia, quia non pertinebat ad diæcesin Orientalem; ita neq; Romano Episcopo competere contradictionem aut cognitionem in causa Athanasii.* Hæc Socrates & Sozomeno, quæ merentur observationem.

Huic procaciæ & temeritati commissæ, quoad in sufficien-²⁵⁴ tem discussionem meritorum; Et incompetentiæ, quoad jurisdictionem, ut occurrerent Concilia hujus Quarti seculi, enixè laboratum est, ut patet ex *Canone V. & VI. Concilii Nicæni,* & *Canone XXXIII. Apostolorum,* prout Canones illi à Surio & Binio numerantur, ad quem Apostolicum Nicænus Canon provocasse illis videtur, quando veluti Canonis cujusdam antiquioris mentionem, injicit dicens: *De iis qui communionem privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine ab Episcopis uniuscujusq; Provinciæ, servetur hæc sententia, secundum Canonem qui pronunciat: Ut, qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Hoc est, quod Cyprianus Cornelio & Stephano

Castigabatur ab orientali- bus.

in-

inculcabat, ne Romipetas ex Africa aut aliis provinciis, sine literis formatis aut Synodicis suorum Episcoporum reciperent. Idem decretum repetiit Concilium Antiochenum Can. 6. & refertur à Gratiano II. q. 3. Can. 2: Si quis à proprio Episcopo fuerit excommunicatus, ne recipiatur ab aliis, ante quàm suo reconcilietur Episcopo, vel in Synodo se defenderit, &c.

255
Castigatur
ab Afris.

Auxerunt hoc schisma Innocentius, Zosimus, Bonifacius & Celestinus, quibus etsi cum solis Africanis lis esset de jure appellandi Romam; Asiatici tamen & orientales passim unguis istos, nunc Orienti nunc Meridiei infestos æque formidabant, ut ex præcedente Epistola Firmiliani Cappadocis, ad Africanum Cyprianum, patuit. Romanenses autem quantum in se erat, excommunicasse à communione sua Africanas Ecclesias, in quibus Aurelius Carthagenensis, Augustinus Hipponensis, Possidius, Alipius, Evodius, Nigidius, aliiqve sanctissimi Viri docebant; nec quicquam defuisse ad apertum schisma, nisi reciprocam Afrorum iracundiam, quæ Romanos vicissim à sua communione arceret: ex Epistola Bonifacii II. paulò ante cognovimus.

256 Canon verò LXXI. Concilii Africani, superstite Innocentio Primo, Anno Christi CCCCVII. coacti sic habet: Quicumq; non communicaverint in Africa, si in transmarinis ad communicandum obreperint, jaeturam Clericatus accipiant. Hunc Canonem ægrè tulit successor Zosimus, cumqve legatione ad Africanos missa, & fictis quibusdam Canonibus Nicenis, jurisdictioni suæ eos subicere vellet; nata hinc est proluxa illa & nondum transacta Disputatio, de numero & authentia Canonum Nicenorum. Africani autem respondent Romanis, cap. 15. Concilii Afric. Bonifacii ætate habiti: Deprecamur, ut deinceps ad Vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à NOBIS EXCOMMUNICATOS in communionem ULTRA velitis recipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertet Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis ibi videtur præcaveri; quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia commu-
aione

nione suspensi, à Tua sanctitate vel festinatò, vel præpoperè, vel indebitè videantur communioni restitui.

Irritavit Romanenses, ut ad dilatandum schisma proniores 257 essent, ex æquatio Constantinopolitanae sedis cum Romana, quæ in primo Castigatur à quidem Concilio Constantinopolitano Oecumenico sanciebatur an- Constantino- no CCCXXIII, sed confirmabatur in Concilio Chalcedonensi politanis. Oecum. ann CCCCLI. Act. XV. Can. 28. De qua evectione Socrates lib. V, 8. & Sozom. VII, 9. Ringente Leone I. Pontifice : cujus Epistolæ LVI. in Anatolium Episcopum Const. & LVII. ad Martianum Augustum, stabilientem hoc decretum, nec non LVIII. ad Pulcheriam Augustam, grandes iras spirant: etsi videri cupiat, quasi non pro sua Monarchia, sed pro Antiqua prærogativa Alexandrinæ & Antiochenæ sediū contendat, quæ loco suo moveri videbantur, per assignationem secundi loci inter Patriarchales sedes Constantinopolitanæ urbi factam, quod Leo Nicænis Canonibus prætendebat adversari.

Doleo, inquit, in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratis- 258 simas Nicænorum Canonum Constitutiones conareris infringere ; tan- Palliolum Ro quam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo SECUNDI honoris pri- mane ambi- vilegium sedes Alexandrina perdidit, & Antiochena Ecclesia proprie- tionis, tatem TERTIÆ dignitatis amisit.

Ad Canonem Constantinopolitanum autem respondet : 259 Persuasioni enim Tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum, ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio : numquamq; à Prædecessoribus Tuis ad Apostolicæ sedis tramissa notitiam. Minorenes videlicet erant Episcopi, Alexandrinus Timotheus, & Meletius Antiochenus, qui Canoni Constantinopolitano; & Maximus Antiochenus, qui Chalcedonensi manu suâ subscripserant, & Proterius, in locum Dioscori Alexandrini Patriarchæ ab Anatolio ordinatus; Eaque propter non poterant tueri honorem suum, nisi Tutor universalis, Romanus Pastor pupillarem causam ageret. Verùm Legati Romani requisiti, ut mandatum speciale ederent contradictionis suæ adversus locū & confirmationem Constantinopolitanæ sedis, hæc prælegerunt ex instructione suâ: *Servate omnibus modis PER-*

SONÆ NOSTRÆ dignitatem, & si qui forte civitatum suarum splendore (Novæ Romæ titulo) confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare; hoc, quod dignum est constantiâ, retundatis. Leguntur hæc Act. XVI. fol. 340. apud Binium, ubi & Legatorum Romanorum cavillationes, ac si quidam Episcopi circumventi, quidam coacti fuissent ad subscribendum Canoni Constantinopolitano, de concurrente primatu, & exæquatione Constantinopolitani Episcopi cum Romano, malitiosæ calumniæ convincuntur. In compendium ista redegit *Marcus Ant. de Dom. lib. IV. cap. 4.*

260
Manifestū
schisma Ro-
manorum à
Græcis.

In mutuum autem, populare, & œcumenicum schisma erupit contentions ille nervus inter Latinos & Orientales, à ducentis annis ductus, at nondum plane scissus aut ruptus, seculo demū Quinto, XX. annis à Concilio Chalcedonensi, sub *Simplicio Romano* ejusque successore *Felice III.* non solum excludentibus *Acacium Constantinopolitanum* ei que adherentes à communione sua, ut patet ex *Epist. IV. Felicis*; sed eò etiam insaniæ progressis, ut *sede ipsa Patriarchali eum deturbare conarentur*, propter communionem, quam cum *Petro Moggo*, sive *Gnapheo* habebat; qui, cum antea ob Eutychianam hæresin pulsus esset, pacem & sedem Alexandrinam redemerat subscriptione Decretorū Concilii Nicæni, & CL. Patrum, sive Constantinopolitani, tum etiam Chalcedonensis, & denique *Henotici*, sive formulæ unionis à *Zenone Imperatore* promulgatæ: pulso *Johanne Talaiia*, Orthodoxo quidem, sed qui contra jusjurandum Imperatori præstitum, sedem ambierat, ut est apud *Evagrium lib. III. cap. 18. & 20.*

261 Ex hoc enim tempore hiat illud schisma Græcorum subinde magis magisque diductum, uti *Liberatus Diaconus Carthagenensis* (de quo vide *Bellarmini angustias IV. de Rom. Pontif. cap. 10. eundemq. de Scriptor, & Possëvinum in Apparatu Breviarii histor. cap. 18.* testatur; Constantinopolitanis Romana fulgetra, tanquam expelvi concitata, ridentibus, & in horum odium nihil emendantibus; etsi post *Acacium Constantinop.* virum omninò Orthodoxum, sed nimis facilem in recipiendo hypocritâ & Vertumno *Petro Moggo*, proximi ejus successores, *Flavitas & Euphemius* re-

con-

conciliationē cū Romana sede quæsiuisse perhibeantur; sed Felix Romanus, ejusque successor Gelasius conciliationem aliā lege non admittebant, nisi ut defuncti Acacii nomen ex sacris diptychis dispungeretur. *Gelasii rigor.* Quam injuriam quum viro Orthodoxo successores irrogare detrectarent, interea tamen communionem, & communicatorias, sive Synodicas literas instaurari peterent, repulsi sunt & repelluntur in hunc usque diem à Romanis, hac supremā saltem & proxima de causa, quod Tyrannidi Romanæ parere, istiusque Orthodoxi Episcopi nomen, qui fiducia serie Recantationis, homini Eutychiano communicaverat, ex Diptychis delere nollent; Quum tamen & Martyrius Hierosolymitanus, & alii Moggo communicarent. Epistolæ mutuæ inter Euphemium Constantinopolitanum & Gelasium Romanum, de hac quæstione missitæ extant apud Biniū l. d. f. 470. 476. 482. seqq. Totamque controversiam in compendium redegit Marcus Antonius de Domin. VII. de Rep. cap. 10. n. CXL. seqq.

Sed & Evagrius dicto l. 3. c. 29. 30. 31. & Nicephorus lib. XVI. c. 19. ²⁶² seqq. causas tam horrendi schismatis satis prolixè descripserunt. Ipsæque Epistolæ Pontificum Romanorum & Constantinopolitanorum inter se, ut Symmachi & Hormisdæ, ad illos missæ; & Anastasii Imperatoris cum Hormisda commutata, apud eundem Binium l. d. ostendunt; Nihil impediisse conciliationem Schismatis, præter solam Romanorum superbiam, Acacii dudum defuncti nomen damnari & tolli de Diptychis postulantium, quod successores ejus, quod vicini Patriarchæ, quod Imperatores contra conscientiam veri & honesti concedere non potuerunt. Atque hac unā de causa concidisse spem reconciliationis, patet ex Anastasii & Hormisdæ Epistolis à Binio relatis l. d. fol. 558. seqq. Nimirum, consentiebat Anastasius Imp. in singula Hormisdæ postulata, ut verba ejus sonant fol. 563; exceptā solā expunctione nominis Acaciani: De capitulo verò, quod SOLUM videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestre fortasse propter unitatem Ecclesiarum conveniret; NISI Hormisda alia venerabilibus Ecclesiis ex hac re moveri SCANDALA videremus. *rigor.* Nam universa quæ sint facienda perpendite. Quia grave esse Clemen-

ria nostra iudicat, de Ecclesia venerabili propter MORTUOS vivos expelli, (qui cum Petro Moggo & Acacio communicaverant, aut communionem illam defenderant) nec SINE MULTA HUMANI SANGVINIS EFFUSIONE scimus posse ea, quæ super hoc scribitis, ordinari, &c. Hormisda autem Legatis suis in mandatis dederat (instructio siue *commonitorium* extat apud eundem *Binium* fol. 561) ne ab hoc postulato desisterent. *Consentientes* (inquit) *Episcopi, in Ecclesia, presente plebe hæc prædicare debent, &c. simul etiam ACACIUM, qui quondam Constantinopolitane Ecclesie fuit Episcopus, sed etiam Petrum, etiam Antiochenum ANATHEMATIZANTES cum sociis eorum.*

263
Acacius pacis
causa excom-
municatus
post mortem.

Hinc decollavit spes reconciliationis vivo *Anastasio Imp.* Anastasio successit *Justinus* Imperator, de nulla heterodoxias labe suspectus, qui cum *Joanne* Constantinop. Episcopo, nihil reliquit intentatū; ut coiret schisma, & pacis causâ non solum *Leonis* nomē *Dipytychis* inseri & publice laudari iussit; sed in Acacii etiam injuriâ & cōdemnationē, pacis publicæ redimendæ causa tandem consensit. (libellus in quo anathematizat innocentem & Orthodoxum *Acacium* extat ap. *Bin.* fol. 586.)

264
Romana am-
bitio insatia-
bilis.

At Radix diffidentiae, ob exæquationem sedis Constantinopolitaneæ cum Romana, intimas urebat fibras: Itaque cū *Johannes* Constantinopolitanus id compensandum esse putaret Consolidatione status sui, quod concesserat injuriæ in Prædecessorem *Acacium*, committendæ; & in eadem Epistola, ante declaratum consensum de excommunicando *Acacio*, præmitteret; *Se* (Unâ eademq; potestate & jurisdictione ista agere & ordinare quâ id facitabat *Hormisda*; per curam istam palliativam vulnus minimè coit. Verba *Job. Constantinopolitani* initio libelli sic habent: *Certus igitur scito per omnia sanctissime, quia secundum id, quod vobis scripsi, unâ tecum cum veritate sentiens; omnes à TE repudiatos hæreticos, renuo & ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias; id est, antiquæ vestre, & novellæ istius Romæ, UNAM esse accipio; Illam, sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ civitatis, UNAM esse desinio.* Hæc ambiguitas de U-

NA.

NA sede, quæ vel de solâ Unitate homogeneæ fidei & Confessionis, vel de æqualitate dignitatis & jurisdictionis simul intelligi poterat, sedes erat in Romanistarum oculis, ut conqyiescere in solius Acacii damnatione nequirent,

Accedebat ; quòd etsi in Ecclesiis Constantinopoleos & Dardaniæ, *Acacii nomen* ex Diptychis omitteretur; alibi tamen in Oriente, in Ponto, & Asia recitaretur. Ipsa etiam Constantinopolitana Ecclesia reliquorum nomina, à Romanis Episcopis itidem ad deletionem postulata, ut *Euphemii, Macedonii Constantinopolitani, atq; aliorum, retineret*, in vitis & ringentibus Romanis, uti ex *Justiniani Senioris, & Justiniani epistolis* patet, moderationem petentibus, æquanimitem petentibus, & venerationem Christiani sanguinis, qui per ministros Imperatoris jam effusus erat, hoc sine, ut nomina illa, tanquam heretica omitterentur, sed paritio ad Romanæ sedis severitatem, obtineri etiam per Imperatoris involuntariam Tyrannidem non potuerat. Ita enim Justinianus ad Hormisdam, apud Binium fol. 606. *Populus Orientalium nec exiliis, nec ferro flâmisq; compelli potest, ut Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet, quæ difficultas generali concordie moras innectit. Sanctitas itaq; vestra celitus inspirata, TEMPORUM rerumq; qualitem consideret, & condemnatis hujus erroris Auctoribus, id est, Acacio Constantinopolitano, Petro, & Timotheo Helluro, & Dioscoro Alexandrinis, Petroq; Antiocheno; FINIRE DIGNETUR inveteratum certamen; de cæterorum NOMINIBUS questione sopitâ: ut redimatis plebem DE SANGVINE, quam Deus noster regendam commisit; ac non persecutionibus & cruore, sed sacerdotali patientiâ populum Domino vestro concilietis: ne, dum volumus animas lucrari, & CORPORA MULTORUM PERDAMUS & ANIMAS. Errores enim diuturnos lenitate clementiæq; convenit emendari: præcipuè, quia vestra Beatitudinis Prædecessores sapissimè voluerunt Reip. nostræ Antistites ad suam revocare communionem, si TANTUM MODO taceretur Acacius, cæteri q; prædicti.*

In signis modestia & prudentia Justiniani Imp.

266 Nota arrogantiam Romanensium, Quinquaginta prope-
modum annis contenderant, delenda esse ex diptychis Acacii, Petri
Alexandrini, & Antiocheni nomina: Hoc impetrato, etiã omnes &
singulos, qui ū his unquam communicaverant, nomineten9 exi-
gebant excommunicari, etſi dudum defuncti vita eſſent.

267 Concludit Juſtinianus: Ille namq; Medicus jure laudatur, qui
veteres agritudines ita ſanare deproperat, ut ex eis nova vulnera non
naſcantur.

268 Eandem moderationem poſtulabat ab Hormiſda Juſtinus
Romani Imp. ipſe, apud Binium fol. 608: Omni (inquit) intentione ordinavimus,
coguntur ab ut venerabilis Eccleſia Conſtantinopolitana, nec non complures alie vo-
Episcopo, ut ta ſuſcipiant veſtra, non ſolum in ceteris, ſed in **AUFERENDIS** etiam
ſeviant con- **NOMINIBUS** ex ſacris diptychis, quæ removenda maximè poſtulatſ;
tra conſcien- **VERUM** nonnullæ fuerunt Urbes & Eccleſiæ tam Ponticæ, quàm Asia-
tiam. vid.n. næ, & præcipuè Orientales, quarum Clerici & populi, omnibus perpen-
265 ti minis & perſuaſionibus, tamen nequaquam flexi ſunt, ut tollant An-
tiſtitum & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit; ſed mor-
te vitam duriorẽ eſtimant, ſi mortuos condemnaverint, quorum glo-
riabantur vitã ſuperſtitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertina-
cia, quæ nec dicto audiens exiſtit, & **TORMENTA** in tantum deſpicit,
ut amplum ſibi ac feſtium judicet, ſi **CORPORE PRIUS**, quàm Re-
ligioſo deſiſtat Conſilio? Nobis quidem videtur, opus eſſe mollius agendi
& clementius; quæ ſi non in Tua ſanctitate, jam nec in alio poterunt in-
veniri: Nam neq; ſanguinis & ſuppliciorum cupidi (quod dictu etiam
grave eſt) Libellum (Joanni Conſtantinop. ab Hormiſda præſcri-
ptum) ſuſcepimus, neq; ut parvo discrimine remaneant imperfecta con-
cordiæ deſideria; ſed ad prorogandam, quo poſſumus ordine, conjunctio-
nem membrorum Eccleſiæ. Utrum igitur præſtantius erit: Minorum
Juſtini Imp. gratia in totum nobis obediã eſſe tantas multitudines; an conſeſſis ex-
prudencia. iguis & remiſſis, majora & omni ratione quærenda corrigi, ut quæ non
licuit per omnia, ſaltem ex neceſſariis partibus allegentur? Veniam ita-
que **NOMINUM** poſtulamus, non Acacii, non utriusq; Petri (Alexand.
& Antioch.) non Dioſcori, vel Timothei, quorum **VOCABULA** San-
ctitatis Tue ad nos datæ epiſtola continebant; Sed **QVOS IN ALIIS**
CE-

CELEBRAVIT CIVITATIBUS *Episcopalis reverentia* Et hoc exceptis Urbibus, ubi *Vestrae Beatitudinis libellus jam in plenum admissus est. Verum nec iudicio res caret sedis Apostolicae: ut non magis VENIA dicenda sit, quam deliberata jam ac perfecta definitio. Anastasius quidem religiosissima memoria, Vestrae culmen Ecclesiae, palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium praedecessori nostro; (Zenoni) SATTIS esse pacem affectantibus, si nomen TANTUM reticeatur Acacii. Ergo prima sedis vestrae constituta sequitur, qui non OMNES MEMORIAS MORTUORUM iudicat contemnendas.*

Impudens tyrannis Romanorum.

Addit Imperator *Ecclesiarum Orientalium supplices literas*, sibi Imperatori traditas, rogatque, ut his expensis, Hormisda remittat de rigore. Hanc chartulam, inquit, per Joannem Virum Reverendissimum, Episcopum Constant. dirigendam vobis in presenti credidimus, ut a Vestra sede ETIAM Tenor ejus admissus, ad COLLIGENDAS proficiat, & ad UNANDAS ubique venerabiles Ecclesias, & HIEROSOLYMITANAM praecipue, cui tamen omnes favorem impendunt, quasi MATRI Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere.

269

Martyrius Ieros. Ep. communicaverat Crypto Euty-chiano

En mansuetudinem Imperatoris, En arrogantiam Romani Flaminis! Acacius ob nullam haeresin, quam ipse docuisset, sed tantum, quod Petri Gnaphci ambigua Recantationi fidem habuisset, componendi schismatis causa excommunicatur post obitum, annis circiter XXXVIII: Excommunicantur, qui de haeresi suspecti fuerant; Romanus ille Misanthropos non exsatiatus illa in Acacium vindicta, omnes & singulos Orientis Episcopos, qui cum Acacio communicaverant, dudumque in Domino obdormierant, ex Diptychis deleri & excommunicari postulat. Contra quam Hieronymus, quam Basilius, quam Gregorius Theologus, quam Chrysostomus, quam Augustinus de his statuebant, qui cum Arianis, cum Macedonanis, cum Donatistis & Novatianis olim communicaverant, antequam communi & publica conciliari sententia condemnarentur.

vid. n. 261.

270

Responsum Hormisdae ad litteras haec Imperatoris extat apud Binium fol. 612. hujus argumenti; Nec vos aliquorum obstinatio red-

271

dat

dat à proposito pigriores, scil. qvin ferro flammisqve excindatis omnes & singulos, detrectantes excommunicare & delere nomen Eorum de diptychis, qvi cum Acacio aut Acacianis, dudum defunctis communicarunt, Uti Epistola alia Justiniani ad Hormisdam habet fol 410. apud Binium, aut qvi cum eo communicaverant. Hi erant mores, hæc lenitas, ista sunt publica commoda, quæ Romani Episcopi primis sex seculis à Christo in Ecclesiam designarunt. Qui hodie eos factos esse æquiores persuasi sunt, facessant illicò ex Germania in Italiam.

Continuationem horum schismatum inter Latinos & Græcos delineavit Marcus Antonius d.l.VII. de Rep.C.X. à num. CLXIV seqq. usq; ad CLXXXVIII. & ostendit; fomitem diffidii non fuisse nutritum discrimine dogmatum fidei, sed solâ æmulatione & contentione de primatu simultaneo, quem prætendebant Constantinopolitani; & exclusivo, quem Romani. Quod & Centuriatores nostri ostenderunt Cent.V.c.8. Cent.VI.c.8. & seqq. Centuriis eod.c.

Rationes quæ prudentiam & moderationem in executione Excommunicationis svadent, à commodo & incommodo Ecclesie & Reip. tantâ copiâ suggeruntur, ut difficile, nec satis tutum sit, eas sigillatim hic exponere. Supra Generalem Regulam delineavi: *Quandocunq; damnum ex censura hujus executione probabiliter oriturum, æquale vel majus est damno, quod tollitur & impeditur per executionem illam; tunc suspendendam esse executionem, & permittendam fonti, ut maneat tantisper in communionem visibili & externa Ecclesie, donec citra majus aut æquale damnum, quàm ex toleratione ejus nascitur, excommunicari possit.* Hanc regulam tradidit Augustinus II. supra allegatis, eamqve pluribus illustravit B. Lutherus in expositione Psalmi CI. vers. 2, 3. Tom. VI. Jenensi German. imprimis ad ult. versum, ubi David gloriatur; *se manè*, id est citò & summâ cum alacritate, extirpare omnes peccatores, Cur ergo Doëgum, Achitopholem, Saulem, &c. non extirparit? *Hie gehören her / inquit, die einen Löffel auffheben / und zutreten eine Schüssel / zc. Was konte Samuel thun / da sein König Saul sich liesse den Doëg und andere verführe / grossen Schaden zu thun?*

273
Cause moderationis, ex lege charitatis.

thun? David mußte den Joab und Simei eine Weile lassen wüten/ &c.

Ad hanc suspensionem *excommunicationis*, præsertim *Majo-*
ris credo teneri Pastorem, non solum ex lege prudentiæ, sed etiam
 justitiæ, & præcepti divini, sive interdicti potius, *de non evellendis*
Zizaniis cum periculo, (multò minus cum manifesto damno) *tritici*
Matth. XIII. Augustinus non formidavit *intempestivam excommu-*
nicationem, etsi ratione meritorum, & ratione fori competentis ju-
 sta sit, SACRILEGIUM vocare, idque aliquoties dicto c. 2. libri III
 contra Epistolam Parmeniani. Et lib. unico post collationem cum
 Donatistis cap. XX: *Neg; enim* (inquit) *à populo Dei separamus, quos*
vel degradando vel excommunicando ad humiliorem penitendi locum
redigimus: Et ubi hoc facere pacis & tranquillitatis Ecclesiæ causa non
permittitur, (scil. degradare vel excommunicare) non tamen ideo
Ecclesiam negligimus: sed toleramus quæ nolumus, ut perveniamus quò
volamus: utentes cautela præcepti Dominici, ne cum voluerimus ante
tempus colligere Zizania, simul eradicemus & triticum: Utentes etiam
exemplo & PRÆCEPTO beati Cypriani, qui collegas suos fæneratores,
fraudatores, Raptores, pacis contemplatione pertulit tales, nec eorum
contagione factus est talis. Unde & nos, si triticum sumus, ejusdem be-
ati Martyris verba fidentissime dicimus: Quia, etsi videntur in Eccle-
sia esse Zizania; non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra,
ut quoniam Zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.

Applicat: hæc verba piissimè ac justissimè dicerent Majores nostri,
 etiamsi Cecilianum & ALIQUOS EPISCOPOS ejus malos viderent,
 quos tamè ab Ecclesia separare nõ POSSENT PROPTER EOS, quibus
 mali esse demonstrari non poterant, qui eos Bonos & Innocentes puta-
 bant, &c. Inter præcipuos Sanctos habitus Samuel, & graviter Saulem
 corripuit, & cum eo tamen ad offerendum Deo sacrificium sine excusa-
 tione perrexit, nec peccatorum ejus contagione pollutus est. Puto eos, qui
 in populo Corinthiaco dicebant: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, Ego
 verò Cephe: & tamen OMNES AD UNUM ALTARE ACCE-
 DEBANT, & eadem Sacramenta communicabant, qui eadem
 malà vita non communicabant, &c. esse tamen illos, quos
 Apostolus de schismate reprehendit, & tanquam in hoc HOR-

Pp

REN.

274
 Ex lege justitiæ sec. Augustinum.

275
 Persuasio plebis de Innocentia Novatum

RENDO VITIO velut omnes increpans dicit: Num divisus est Christus? &c. Puto autem quod isti, quibus nihil deerat in ulla gratia I. Cor. I. qui ditati erant in omni verbo, in omni scientia, &c. JUGUM non ducebant cum eis, qui Resurrecturos mortuos non credebant.

Ecce, quomodo non ducant jugum cum infidelibus, quamvis eidem 276 populo misceantur, & sub EISDEM SACERDOTIBUS EISDEM SACRAMENTIS imbuantur. Denique ipse Apostolus, ne huic infidelitati consentirent, quorum fides jam tenebat resurrectionem mortuorum, communicari non eis precepit corporalem separationem. MULTI quippe erant: non quando ad- sicut ille UNUS, qui uxorem patris sui habuit, quem liberiore correptione haberet hetero- ne & excommunicatione iudicat dignum. LONGE ALITER iste, aliter doxo. vitiosa curanda & sananda est MULTITUDO: ne si forte plebs separatur, per SCHISMATIS NEFAS etiam triticum eradicitur. Eos ergo qui jam credebant Resurrectionem mortuorum, ab his, qui eam in eodem populo non credebant, non corporaliter separat, sed spiritualiter separare non cessat dicens: Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia prava. Non eorum CONGRESSUM, sed consensum timet, ne malis colloquiis accommodent fidem. Moribus ergo eos, NON ALTARIBUS admonet separari, &c.

277 Pergit: Fuerunt quidem tempore Cecilianus, Beati & pacifici, qui eum, etiam si innocens non esset, SCIENTES pro Catholica unitate tolerarent, cum eum viderent Tot ignotis gentibus, per quas ipsa unitas dilatatur, Sacramentorum participandorum communione coherere, Eiusque TALEM non posse monstrari, QVALEM ipsi eum ESSE cognoscerent: 278 Ipsi quoque se contra istas calumnias defenderent verbis beati & pacifici Cypriani, clamitarentque fideliter & dicerent: Ideo propter Cecilianum non deserimus Unitatem; quia, et si videntur in Ecclesia esse Zizania, non tamen impedire debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.

Nec hetero- didascalus quando à multitudine separari corpore non potest.

Vides Augustinum decernere de scandalosis tum Dogmatistis, tum male moratis: Neutros per iustitiae & charitatis praecipua posse degradari, excommunicari, corpore separari, sive per illorum ejectionem è nostro cœtu, sive per nostram subductionem ab ipsorum cœtu; si partem multitudinis adherentem habeant, quæ non cre-

cre-

eredat, Eos esse sive in doctrina, seu vitâ tam pravos, quàm depinguntur ab aliis. Rationem negandi sumit Augustinus ab interdicto Christi: *Ubicunq; periculum est eradicandi simul tritici, ibi cessandum esse ab excommunicatione*: Ubicunq; periculum est schismatis, ibi periculum esse evellendi tritici. Quando n. abstrahitur vel extrahitur triticum agro visibilis Ecclesiæ, non profunt ei verbum, non Sacramenta, ob vitium morum, ob læsam charitatem per schisma, (quod est perpetuum Augustini argumentum contra Gaudentium, contra Cresconium, contra Parmenianum, jactantes consensum in Dogmatis, in Sacramentis, in tota religione Christiana, &c.) Ergo ubicunq; est periculum schismatis, ibi abstinendum esse ab excommunicatione, à degradatione, &c. Hanc Augustini sententiam esse nemo dubitare potest.

Accedit periculum etiam propagandæ hæreseos, quod paulò ante audivimus allegari ab Alexandrino Concilio, apud Athanasium, ab Hieronymo, in Dialogo contra Luciferianos Schismaticos, tanquam sufficientem causam, ob quam Episcopi Catholici unum alterumve notorium Arianum non excluderint è cætu suo, neq; ipsi Tempora sua deseruerint? nempe: *Quia Arianis reliquis concivibus, eisq; Orthodoxis, amicitia, cognatione, Affinitate, &c. conglutinati erant, à quibus corporaliter separari non poterant; aut si ab externa communionem Ecclesiæ separarentur, eos cognatos, Affines, Assedas secum in schisma & postea in hæresin abducturi erant*: Adeoque scientes prudentes visuri essent: provincias & officia sua illico occupari à Doctoribus Arianis, si ipsi discederent, & cætus desertos Arianis relinquerent, uti hoc tricenniali bello Germanico, non semel contigit; Ecclesias pressas & mixtas totas hostibus cessisse, postquam Orthodoxi Doctores ex impatientia aufugerunt. Hinc Ecclesiæ conservandæ cõmodo velitatũ fuisse per temporalem tolerantiam communionis eorum, qui in possessione communionis adhuc erant. Longe verò aliam rationem esse de inveteratis schismatis, dudumque possessione communionis Sacramentalis exclusis: longe altioris indaginis esse, ut hi iterum admittantur, quàm ne isti ejiciantur.

279

Aut quando ob paucorum intolerantiã, totus cætus periclitatur.

280
Corpore vel
animo.

Accedit & hoc incommodum; quòd declarato Doctore aliquo pro hæretico, qui multitudinem ad hærentem habet, neque corporaliter ab hac separari potest; Aperti hæretici non solum illum tanquam hæreticum declaratum nobis objectant, plebemque omnem hæreseos incusant, quæ istum sive pro innocente sive pro Orthodoxo habet; sed quòd plebi etiam inextricabiles injiciuntur scrupuli, de impossibilitate consequendi salutem sub isto Doctore, quum plebs tamen de antiquo & vero dogmate nihil immutaverit: sed, ut Hieron. laudato illo *adv. Lucif. Dialogo*, ait, *quando Auditorum aures puriores sunt labiis Sacerdotum, sive Doctorum: Parentum, Avorum, Conjugum salus animæ in dubium vocatur: Æmulationes, odia, similitates concitantur inter familias, urbes, oppida, Magistratus, Consiliarios, inter quas turbas Reip. nec tutæ esse licet nec tranquillæ. Ipsius itaque dogmatis propagatio omnibus modis, etiam pœnis afflictivis corporis impedienda est, ubi sine damno tritici potest: Ubi autem sine damno impediri non potest, impediatur in tantum, in quantum sine æquali aut majori noxâ potest, i. e. Refutetur falsa doctrina, & velut de imaginû cultu B. Lutherus dicebat, in libro cõtra Cælest. prophetas: Imagines primùm ex animo, postea ex oculis Auditorum ejiciantur, si initium ab ejectione ex oculis, citra majorem noxam fieri nequit.*

281
Vel etiam
Resp.

Quæ causa est, eaque justa, ob quam Imperatores, Reges, Principes, & provinciarum Governatores nonnunquam intercesserunt executioni censurarum Ecclesiasticarum, quoad merita justè quidem, sed respectu malorum consequentium intempestivè decretarum. Ipsorum enim maximè interest, ne seditionibus Respp. evertantur. Qvalia exempla collegit Marcus Antonius de Dominis lib. V. de Republ. Eccl. cap. IX. & XII. & l. VI. C. IX. à num.

282
Exempla in-
tempeſtiva
Excommuni-
sationis.

20. seqq. Non disputo de meritis *Endoxie Augustæ*, quòd Chrysoſtomus eam ingressu templi prohibuit, ideò, quòd bant procul à templo, *Sophia nomine dicto*, nec tamen in loco contiguo, saltationes & lu-

ludos publicos exhiberi pro more pateretur: cum Chrysoſtomus tamē nec Imperatricem ipſam privatim, nec proceres quosdam, ut ludo illo abſtinerent, ſlectere ſtudiſſet, uti Socrates ait lib. VI. c. 18. Saltem intempſtively egiſſe, & majori cum damno Eccleſiæ, ſpaciū & locum diſſeminandi dogmata ſua, & occupandi principum animos Arianis in manus tradidiſſe, quum ſibi exiliū hoc facto paraſſet, in comperto eſt. Ipſo etiam Theodoretæ teſte, lib. V. cap. 17. & Sozomeno l. VIII. c. 20. ſeqq.

Babylas Episcopus Antiochenus & Martyr, Martyrii coronam legitimè meruit, quod fidem orthodoxam confeſſus eſt, eamque morte ſignavit, nolens ſacrificare Diis; ſed occaſionem Martyrii defendere non poſſum: quod *Decium Imperatorem ab ingreſſu in templum prohibuit, nec arma nec ferrum tum quidem ſecum ferentem, neque communionem cum Chriſtianiſ petentem, manu in pectus illi inſertâ repulit.* Hunc enim modum abigendi Imperatores heterodoxos etiam à ſolo ingreſſu in templa Chriſtianiſ, in ſacris literis non invenio. Morales modos, Corripiendi Imperatores, ſive Paganos, ſive Apoſtatas, naturalia autem arma Episcopis ſacræ literæ non ſubminiſtrant. *Eſt Chryſoſtomus Orat. contra Gentiles, quæ eſt Descriptio vitæ Babylæ, hoc factum laudet.* Alii *Numerianum Imp.* manu inſertâ à templi ingreſſu ab ipſo repulſum ajunt: quod etiam *Camerarius* noſter ad *Theodoretæ hiſtoriam* obſervavit. *Eusebius autem lib. VI. cap. 39.* Babylam perinde atque Alexandrum Antioch. Episcopū in carcere mortuum ſcribit: Atque hic etiam finis vivendi, Martyrum eſt.

Baronius Tom. IX. ad ann. 795. laudat *Platonis Monachi* & *Theodori Studitæ*, Abbatis, ſive Archimandritæ facinus, quod, cum *Tarafius* Episcopus *Constantinopolitanus* *Constantium Irenes* filiū *Digamum* excommunicaret nollet, *Monachus Patriarcham ſuum, Abbas Imperatorem ſuum* excommunicaverit, & *Monachos* circumcirca ad

feditionem concitaverit, *ne pro Imperatore orarent*; Quapropter virgis cæsi & relegati sunt, Imperatore nequicquam emendato.

284

Auda Persarum Episcopi Zelus in destruendo templo Idololatrico, quantam stragem Christiano nomini dederit, *Theodoretus lib. V. cap. XXXIX*, pluribus commemoravit; quod Dis sacrificare coactus fuerit, non meminit. Tradægiam paucis delineabo: *Isdigerdes Rex Ecclesias per universam Persiam evertit hac occasione: Audas erat Episcopus multis virtutibus præditus: Ille intempestivo ardore instigatus Pyreum, Ignis templum subvertit. Qua de re Rex per Magos certior redditus, accersit Audam, & accusatum primò clementer jubet instaurare Pyreum. Quod cum se negaret facturum, minatur Rex, se omnes Ecclesias everfurum esse: ut q, fuerat minatus, fecit.*

Et de Regum quidem Excommunicatione recte hic censet *Marcus Antonius*, quod & *Lutherus* in sermone de Banno Tom. I. Jen. Germ. Et in Admonitione ad Ecclesiasticos Augustæ congregatos anno MDXXX. Tom. V. Jenensi German. ostendit; *Non competere in Reges nisi Excommunicationem minorem*. Majorem enim quæ Christianis interdicit libero ac voluntario commercio edendi, bibendi, conversandi cum excommunicato, *in Regibus tam non habere locum, quàm in conjugibus, ne reddant conjugale debitum: In filiis, ne parentibus officia debita præstent: in servis & subditis, ne Dominis suis justa exhibeant*. Spiritualis enim animæ pœna non dissolvit vincula, quæ jus divinum, naturæ & gentium colligaverunt; sed illa tantum, quæ Baptismi & Sacramenti Cœnæ communionem contracta sunt. Quod per Ecclesiæ beneficium collatum non est, neq; auferri potest per censuram Ecclesiæ: jus civitatis, commerciorum, &c. per Ecclesiæ beneficium collatum non est. E.

286

Multa notavit *Socrates* libb. V. & VI. de ambitu Ecclesiasticorum virorum, in acquisitione: & de imprudenti Zelo eorundem, in administratione Episcopatum suorum, quæ tempore Schismatum, cum primis digna sunt legi. Castigavit ille nonnulla

la

la in *Monachis* quos Longos vocabant, *cap. 9. 16. 17. libri VI. In Cyrillo Alexandrino* de pulsationibus & afflictionibus vitæ fortunarumq; alienarum l. VII. c. 7. 13. 14. 15. quæ profectò imitanda non sunt, quæq; vereor referre.

Quin etiam ad minorem Regum & Principum excommunicationem cautè & lentè procedendum est, ob inseparabile periculum schismatis. Quia alii, iiqve Collegæ nostri, quos in fide Orthodoxos esse negare non possumus, admittendum censebunt, quem nos suspendimus, & à communione removimus; sicut passim amat fieri, ut Romæ suscipiantur, quos Constantinopolis expulit, & vice versâ.

Aut verò, si pertinaces fuerint, & emendari nolint; ne postea, ad majus malum ab Ecclesia avertendum, i. e. cladem innocentium, hæresin, hæreticorum aut heterodoxorum tum clanculariorum tum manifestariorum introductionem, sævitiem, tyrannidem, aut majorem luxuriam & similia vitia principum, magna cum ignominia censurarum Ecclesiasticarum, earumq; futuro etiam vilipendio cogamur rescindere, aut relaxare vincula, quæ meritorum intuitu justè quidem injecimus, sed intuitu personæ minus oportune constrinximus. Quod certe longe majore cum scandalo fieri necesse est, atq; suspensio executionis & toleratio Zizaniorum intertriticum, quæ sine damno tritici separare nequimus, generare poterat?

Accidit hoc beato Chrysofomo, qui Eudoxiam Imperatricem in effectu excommunicarat excommunicatione minore, quando ingressu templi, etiam ad audiendam prædicationem verbi illi interdicebat, eamq; velut *saltatricem Herodiada, insanientem Jesabelem, &c.* coram populo perstringebat; ut non solum ipsa se abstineret à communione cum Chrysofomo & Joannitis (ita vocabantur ad stipulatores Joannis Chrysofomi) sed & Imperator, vir probus & orthodoxus, imminente Natali Christi, contra morem suum ad Ecclesiam non veniret, Joanni autem significaret,

287

Etiam minor excommunicatio principum cautè

suscipienda est.

288

289

Chrysofomi exemplum.

non

non communicaturum se cum illo, antequam de objectis criminibus se purgasset, ut habent Sozomeni verba lib. VIII. cap. 20. Interea Severianus Gabalensis in Syria, Theophilus Alexandrinus, Leontius Ancyranus, Cyrinus Chalcedonensis, Ammonius Laodicensis, Brisson Philippensis, Acacius Beroensis, & alii Episcopi, adversus quorum doctrinam Chrysostomus nihil excipere poterat, ipsiq; ejus Diaconi, Serapion & Heraclides, quos ad Episcopatus promoverat; communicabant Imperatori & Imperatrici, damnabant Joannis factum, & secunda vice eum deponebant de sede; non tam propter contumeliam Reginae illatam, quam quod primâ vice per Synodalem sententiam depositus, per tumultum populi sedem quidem recepisset, sed illegitimè & contra Canones. Ita noverant Elenchis causarum uti, & Imperatricem ab animo vindictæ cupido, etiam sacri Flamines, Joannis in Christo Fratres, absolvere.

Et quamvis Joannes opponeret: Non solâ populi petitione, sed ex
 291 sententia etiam aliorum LX. Episcoporum se recepisse sedem, replicabant tamen hi judices: Joannem à pluribus depositum, à paucioribus restitui illis invitis non potuisse: Duplicante Joanne; Decretum illud, de non restituendo deposito à pluribus, per Episcopos pauciores, in fraudem Homousianæ fidei proCUSUM esse ab Arianis Antiochia congregatis, & pluralitatem Ariminensium Episcoporum, pauciorum Niceni Concilii Assessorum numero objicientibus, qui & Athanasium numero suffragiorum deposuerant; obtinebat tamen plurium sententia, & non comparanda ad Eudoxiæ peccatillum emerfit Ecclesiæ clades, incenso Joannitarum templo, & propter viciniam, etiam magnâ Curiam Constantiopolitanâ per flammam correptâ; Quamobrem multum innoxii sanguinis effusum est à præfecto urbis Constantinopolitanæ, Optato, homine pagano, & qui de calamitatibus Ecclesiæ ridebat, dissidiq; Episcoporum delectabatur. ut Socrates lib. VI. c. 18. & Sozom. l. XXI. c. 2. 3. attestantur.

292 Annon præstabat, Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum suspendisse excommunicationem contra Bardam (Egnatius lib. 3. cap. 6. Varadam nominat) Michaelis Imperatoris patruum, ob digamiam; quam ut Bardas à Cyzizeno Episcopo reciperetur, & in.

Ignatii Constantinopolitani.

ingentem Ecclesiae cladem inferret? ut est apud *Fulgosum lib. 1. cap. 8.*

Annō præstabat *Tharasiū* Constantinopolitanum Patriarcham differre excommunicationem juvenis Imperatoris *Constantini, Irēnes Filii*, bigamī: ne proclivem ad Eutychemianam hæresin impelleret ad Apostasiam; quā quod *Tharasio* subditus Monachus *Plato*, Zelo bruto insaniens, propter hanc cōniventiam Episcopo suo noluit communicare, nec Imperatori, nec aulicis, sed alios quoque Monachos in schisma pellexit, magno misellorū istorū malo? Tametsi enim *Baronius* Monachum laudet, *Theophanem* tamen ex opposito producit, laudantem *Tharasiū* potius prudentiam. *Tom. 9. ad ann. DCCXCV. n. 69. & 75.*

292
Tharasiū Con-
stantinop.

Annō præstabat *Theodosium* Imperatorem impedire executionem anathematis in *Joannem Antiochenum Patriarcham*, cui populus adhærebat, quod Nestorio faveret, etsi tota Synodus Ephesina eum excommunicarat, quā ut totam provinciam everteret, & Nestorianos in pertinacia sua confirmaret? Profecto *Cyrillus* infensissimus Nestorii hostis, hoc ipse agnovit, & *Maximo Diacono*, nec non *Gennadio Archimandrite*, Joannis subditis rescripsit, ut Sect. præced. ex *Actis Synodi Ephesinae Act. V.* & Decreto *Gratiani, l. 7. Can. 15. & 16.* retuli, & *Baron.* ad ann. *CCCCXLIII. n. 7.* prudenter à *Cyrillo* factum esse fatetur.

293
Theodosii Ex-
ecutoris.

Quid profecerunt mutuis excommunicationibus Patriarchæ Romani & Constantinopolitani, nisi ut Imperia committerent, colliderent & everterent? Neque enim emendarunt Doctores, nec plebem. *Vigilius Romanus* excommunicabat *Mennam*, *Menna Vigiliū*, *Felix Rom.* *Acacium*, *Acacius Felicem* apud *Nicephorum l. XVI. c. 17. & l. XVII. cap. 26.* nullo Ecclesiae, nullo Reip. nullo Regum, nullo populorum, nullo suo emolumento, sed irreparabili Reip. Christianæ damno.

294
Romanorum
& Constan-
tinopp. Epis-
coporum.

Quin & hinc sacrorū hominum nihil minus quā sacrae fraudes sine consideratione trahenda non sunt: quod Flamines mutuum infensi, quāto majores simultates inter se gerunt, tantò majore studio nitantur, ut Regum & Principum favores ab Ad-

295
Antistitum
mutue frau-
des.

Qq

ver-

versario in se derivent, id laudando vel excusando saltem, quod Adversarius in Principe flagellat: Nonnunquam etiam vicinum quasi ex Zelo Dei ad disciplinam exercendam incitent, timiditatem & teporem ei exprobrent, donec Principem suum communione excludat: Unde fit, ut ad majus odium Adversario conflandum, Excommunicatos Principes illi ipsi tanto avidius in communionem suorum sacrorum recipiant, quanto sunt avidiores ad ægrè faciendum æmulo. Quod præter exempla jam adducta, suâ ætate *Socrates & Sozomenus* increbuisse plorant.

296 Quum *Jovinianus* ad Imperatoriam dignitatem eveheretur, undiq; confluxerunt *Episcopi*, inquit *Socrates* l. III. cap. 24. eò quod Imperatorem quisq; sibi ad stipulaturum sperabat. Ille verò ab initio fidei *homousianæ* adhaeserat, postea *Nestorianis & Arianis* favebat, &c.

297 De *Arcadii* Imperatoris ætate, quum *Persæ* simul & *Gothi* Imperium infestarent, scribit idem *Socrates* lib. VI. cap. 6: Cum autem tantis periculis adobruta essent res Romanae, illi qui in Sacerdotio constituti erant, dolos contra seipsos ad probrum *Christianismi* invicem struere non desinebant.

298 Adscribam aliud recentius exemplum ex *Baronio*, quemadmodum *Vitalianus* Papa seculo VII. prætextu sanctimoniam usus fuit, in suscipiendo Imperatore *Constante* *Monothelita* quoad hæresin, sacrilego, fratricida, & quem divina *Nemesis* domi forisq; excruciat, frequenter apparente ei spectro necati fratris *Theodosii*, qui *Diaconus* fuerat, quod spectrum porrigebat fratricidæ poculum sacrum sanguine plenum his verbis: *Bibe frater, &c.* ut *Cedrenus & Theophanes* consignarunt: Quomodo *Tyrannum* hunc, qui & *S. Martinum*, qui & *Maximum*, aliosq; *Orthodoxos* viros trucidaverat, suscepit tanquam optimum fratrem, ut æmulo suo *Petro Constantinopolitano Episcopo* ægrè faceret, qui pari potestate, quâ *Romanus* *Epistolæ* suas encyclicas *Constantinopolim* mittebat, rursus mittebat suas *Epistolæ* *Synodicas*, etsi *Monothelitarum* hæresin sapientes, *Romam*: Ambo autem abstinebant à mutua *communione Sacramentorum*, Ambo mutuis in-

fe

festisqve odiis flagrabant. uti Baronius ipse, ex *Anastasio Bibliothecario sub init. Anni DCLIII.* refert ac fatetur:

De hac inquam assentatione Romani Flaminis ex *Anastasio Bibliothecario* Baronius ad Ann. DCLXIII. h. m. *Hujus temporibus venit Constans Augustus de Regia urbe Romam: Et occurrit ei Apostolicus cum Clero suo miliario sexto ab urbe Roma, & suscepit eum. Et ipsa die ambulavit Imperator ad Sanctum Petrum ad Orationem, & Donum ibi obtulit.* Die Sabbati ad Sanctam Mariam venit, itemq; Donum obtulit. Dominica die processit ad S. Petrum cum exercitu suo: Omnes cum cæreis exierunt obviam ei: Et obtulit super altare illius pallium auro textum, & celebratæ sunt MISSÆ. Item Sabbati die venit Imperator ad Lateranas ædes, & lavit se, & ibidem pransus est (in Moguntina editione, ex Bibliothec. Velferiana legitur: *praxit.*) in basilica Julii. Item Dominico die fuit statio ad Sanctum Petrum, & post missas celebratas, vale fecerunt sibi invicem Imperator & Pontifex. *Duodecim dies in Civitate Romana perseverans, omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis spoliavit: sed & Ecclesiam beatæ Mariæ, quæ rebta erat tegulis aneis, discooperuit, & in Regiam urbem cum aliis diversis rebus, quas rapuerat, direxit* (Nota gratitudinis signum, & compensationem donatorum S. Petro factorum) *Et postmodum secundâ feria egressus de civitate Romana & c. habitavit in civitate Syracusana: Et TALEM afflictionem posuit in populo provinciarum Calabria, Sicilia, Africa, Sardinia per diagrapha, capitationes & nauticationes per annos plurimos, quales à seculo nunquam fuerunt, ut etiam uxores à maritis, & filios à parentibus sese separarēt. (scil. intolerantia onerum, famis, laborum & c.) Sed etiam alia multa inauditaperpeffi sunt, ut aliqua spes vitæ nō remaneret. Nam & sacra vasa, & cimelia Sanctarum Dei Ecclesiarum auferens, nihil reliquum fecit.*

Platina in Vitaliano addit: Quintâ postquam urbem ingressus est die, ad direptionem conversus, omnes statuas ex ære & marmore ad ornatum urbis locis insignibus positas: Omnia Ecclesiarum ornamenta paulo decentiora distrahit, & navibus ad id subvectis imponit: Plusqve ipse ornamentorum septem diebus urbi detra-

Qq 2.

xit,

Sic ars delu-
ditur arte

xit, quam antea Barbari ducentis & quinquaginta octo annis ne
 dicant malevoli, *Gregorii Pontificis jussu eorum minutas esse Majorum*
statuas ac monumenta. Duodecimo autem die Roma in malam re a-
 biens Græculus nequam & perfidus, Neapolim contendit, &c. ubi
 tributa adeo acerbe colligavit, ut filii ab obaratorum paren-
 tum complexibus divellerentur.

301
Prudentia I- Hic erat Angelus iste faciei, cui Romanum Pontificem tan-
talica deludi- to cum apparatu adulari oportebat; Sequitur Baronii Card. epi-
cur. crisis: *Hic, inquit, absq; consideratione non transeat, quomodo Roma-*
mus Pontifex Vitalianus, inter solertes prudentesq; Pontifices adnumo-
ratus, imò & inter SANCTOS, quos colit Catholica Ecclesia, recensitus,
erga CONSTANTEM Augustum nullum genus obsequii prætermisit,
quo posset hominem demerere? Non enim ejecit ab Ecclesia sacrilegum,
fratricidam: neq; procul abhorruit vel à salutatione hominis, qui San-
ctissimum Pontificem Martinum è sede tyrannice evulsisset, ignominiose
tractasset, ac tandem relegatum, Chersonæ perire fame etiam coegisset;
 Non exhibitam in S. Maximum ejus discipulum carnificinam
 exprobravit: Non, inquam, tot tantisq; criminibus adpersum ho-
 minem sprevit, vel (ut par erat) exhorruit, foresqve illi occlusit
 Ecclesiæ; sed obviam prodiit, excepit, fovit, amplexatus, & pro-
 secutus est omni genere charitatis. Cur ista Vitalianus in suum
 dispendium, (ut videri poterat) Ecclesiasticæ læsæ censuræ & fra-
 ctæ penitus disciplinæ? QVI CUNCTA MODERATUR DE-
 US, & fecit in numero, pondere ac mensura, & pro ratione DI-
 VERSORUM TEMPORUM, diversas à nobis in rebus gerendis
 rationes exposcit, secundum quod Sapiens dicit: Tempus odii &
 tempus Amoris, & tempus amplexandi & tempus ab amplexibus
 recedendi, & tempus pacis, & tempus belli, &c. IS SVASIT VI-
 CARIO suo summo Pontifici ITA agere cum scelestissimo ho-
 mine, dissimulando omnia Hominis illius delicta, dummodo Ca-
 tholicæ esset veritati consultum: cui conduceret, ut Imperator diu
 hæreticus, SIVE per veritatem, SIVE per occasionem specimen
 ederet Catholicæ pietatis, PERSONAM præ se ferens hominis
 Orthodoxi.

Hac

Hæc scilicet decet PERSONAM hominis orthodoxi, donare S. Mariæ pallium, & auferre tegulas æneas de templo S. Mariæ, rapere omnia templorum cimelia.

302

Cardinalitiæ enim impudentiæ est, quicquid Cæsar Soranus deinceps gloriatur *de utilitate publica*, quam Romana Ecclesia ex hac assentatione fuerit consecuta. Nam & Imperator *in hæresi occisus est*, & *Vitaliani nomen de diptychis Constantinopolitanis deletum*, & schisma pariter atque hæresis robur acquisiverunt, uti ipse *Baron. ad annum DCLXXVII*, post mortem Vitaliani fatetur.

Instituto autem nostro servit hoc exēplum hæctenus, ut propter æmulationes continuas vicinorum Flaminum inter se, non nisi lente & iusta cum prudentia accedamus ad excommunicationem eorum, quos alii, Orthodoxorum titulo non minus superbientes, τὰν ἀμφοτέρων, quod dicitur suscepturi sunt, si à nobis ejiciantur: nosque ad disciplinæ rigorem etiam extimulaturi, ut nanciscantur, quos à nobis avellere possint, & schismata atque Sectiones plures inter eos facere, quos conjunctos & consentientes formidare solebant.

303

Applicatio

Exemplorum

Vitalianus certè, mox ut Eugenio successerat, non solum Constanti Imperatori Synodicam Epistolam misit, quâ petiit & impetravit *confirmationem privilegiorum sedis*; uti moris tunc erat, talia ab Imperatoribus petere, (quod *Magdeburgenses* etiam observarunt *Cent. VII. pag. 235.*) *sed donaverat etiam Constanti B. Petro Evangelia aurea, cum gemmis albis, mira magnitudinis ornata in circuitu*, uti ex Anastasio Bibliothec. Baronius ipse refert ad init. Anni DCLV. ubi multa *de fraude & simulatione principum secularium*, id est, de delusa Pontificis arte per eandem Imperatoris artem lamentatur: Patriarcham quoque Constantinopolitanum Petrum exhortatus erat *Idem PP. Vitalianus, ut fidem Catholicam amplexaretur*, id est: ut Episcopum hunc in Imperatorem Monothelitam concitaret:

304

Vitaliani.

At Petrus eodem actu respondet: se tenere, quod veteres Patres docuerunt, eorumque testimonia magno numero allegavit, quæ postea in Synodo III. Constantinopolitana, quam sextam Oecumenicam vocant, lecta, & à Romanis Legatis mutilata atque detruncata allegationis accusata sunt, ut videre est in Actis illius Concilii apud Binius Tom. III. parte I. fol. 157. 158. quò & Baronius provocat.

305 *Feliciis & Gelasii.* Seculo quinto Felix & Gelasius Romani Episcopi Acacium Constantinopolitanum strenuè fodicabant, & acerbe reprehendebant, quòd Zenonem Imperatorem, Henoticum suum cum hæreticis Eutychianis contractum, vi urgentem, & Episcopis refragantibus multa mala inferentem, asperius non coërceret. Epistolæ extant apud Binius in Actis Concil. ad vitam uniuscujusque Rom. Pontif. & apud Baronium Tom. VI. ad Ann. CCCCLXXXIII. sed ipsi interea abblandiebantur eidem Zenoni, ut Acacio odium constarent. Conuenit, scribit Felix ad Zenonem, nunciare clementiæ tuæ rerum gestarum ordinem pro tranquillitate Imperii serenitatis tuæ: & oro suscipias precem meam benignis auribus ut Christianissimus Imperator. Et nequaquam arbitretur pietas Tua, illum nos puro corde non diligere, quicumque TE pacem cum Deo habere non vult, O Christo amate Imperator!

306 Acacium autem his verbis instigat aduersus Imperatorem: Decuerat Sacerdotē suggerere Christiano Principi, maximè cujus familiaritate & favore utebatur, saluam fore de injuriis & contumeliis Nobis illatis vindictam, tantum sineret Christianus Princeps Ecclesiæ regulas custodire. Iterum vellicat eundem Acaciū, apud Baron. l. d. n. 23: Sæpius debes adire Christianæ mentis Augustum, & causas eidem salutis suæ frequenter ingerere. Quò magis TE pro tua salute, & professione feruentius oportuerat talia apud Clementiæ ejus aures incessabiliter allegare, ne vel suæ fidei destituta, vel perfidiæ dicereris Fautor aliena. Error n. cui non resistitur, approbatur, & veritas quæ minimè defensatur, opprimitur. En blandos & mites Romanos Episcopos, in eos qui districtiorem sententiam merebantur; sed injurios & contumeliosos in vicinum Constantinopolitanum, quod parilibus artibus ute-

retur, & Romanis flabronibus oggereret: *Tu si hic esses, aliter sentiret.*

Quis dubitabit, easdem insidias hodieque strui à Diabolo e-
jusq; satellitibus sub nomine & specie disciplinæ Ecclesiasticæ &
puritatis doctrinæ conservandæ? Quam conservari utique oportet,
sed non per media probabiliter & successu temporis magis
destructura fidem, si exercitium doctrinæ orthodoxæ alicubi pe-
nitus aboleatur, quàm si toleretur ad tempus is, qui citra majus
damnum, atque toleratio ejus adferre poterat, ejici non potest.

A quo & quandiu imminet Ecclesiæ idem periculum, qua-
le & quantum à Regibus, Principibus, Dynastis, aliisque plebem
sibi adhærentem ducentibus, si excommunicentur imminet; ab
eo excommunicando tandiu possum abstinere, non minus atque
à quovis alio plebem post se trahente, quandiu periculum schis-
matis durat. Hoc stultorum magistra Experientia Romanos
Pontifices tandem docuit, ut decernerent: Excommunicandos
esse viros singulares & brachio plebis destitutos, quò neque prin-
cipis favore, neque plebis suffragio munirentur: Ministros au-
tem & Amicos principum, aliosque novum schisma facturos, a-
nathemate quidem dignos pronunciarent, executionem tamen in
eos differendam censerent.

Sic ante M. propemodum annos, Concilium Toletanum XII.
cap. 3. apud Binius Tom. 3. fol. 272. de Culpatarum receptione apud
Ecclesiam, censuit: *Quia remissio talium, qui contra Regem, gentem,
vel patriam agunt, per definitiones Canonum antiquorum, in potestate
solum Regia ponitur, cui & peccasse noscuntur; ab illis nulla se deinceps
abstinebit Sacerdotum communio. Sed, quos regia potestas aut in-
gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos et-
iam Sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiasticam
communione debet: ut quod jam principalis pietas habet acceptum,
nec à Sacerdotibus habeatur extraneum.*

Non agit e quidem hic Canon de Notoriis heterodoxis, ne-
dum heterodidascalis, sed de his solis, qui morum vitiis Regi, re-
gno, aut patriæ infestis se commaculaverant, Neque ulterius ex-
ten-

307

308

*Regula gene-
ralis quando
liceat differ-
re executio-
nem.*

309

*Exemplum
dilatae execu-
tionis.*

310

ten-

tendendus est, quàm ad Recipiendos ob morum vitia, aut publica crimina excommunicatos, si Princeps eos mensâ & comitatu suo dignatus fuerit. Neque exempla *Ivonis Carnotensis, & Anselmi Cantuariensis, quæ Marcus Antonius de Dominis adduxit Lib. VI. de Rep. cap. IX n. 25.* provocantium ad hoc statutum, & contra Romani Pontificis interdictum communicantium cum *Gervasio quodam excommunicato, aliisque, qui de manu Regis Britannie acceperant investituras Ecclesiarum, ad hæreticorum dogmatum propagatores se extendunt, quasi his etiam communicare liceat, quando Princeps iis communicat;*

311 Generalis tamen ratio hujus statuti, quam in principio Tolletanum Concil. allegat, scil. *Rem istam afferre Denotabile malum, si Collegium Sacerdotum à pace & communione Ecclesie illum separet, quem principalis licentia in suam communionem suscipit;* à fortiori arguit: Non esse temere illos à presenti possessione communionis Ecclesiasticæ deturbandos, quos Principes non solum in civili, sed etiam in Ecclesiastica communionem retinere volunt. Si enim propter hanc causam recipiendus est in possessionem communionis; multò minus à possessione deiciendus est, si Princeps eum in possessionis exercitio retinere velit. Turpius enim ejicitur quàm non admittitur. Et ex hac generali ratione statuebat Anselmus Cantuariensis; *Quando ex officio ejus coronandus erat Rex Anglie, & communicandum in sacra illa Synaxi cum Rege de reverendis mysteriis; Tunc se non posse vitare eos, quos Papa Paschalis vitandos jusserat, quia Rex ad suam communionem, à qua Anselmus officii causa & de more abstinere non poterat, eos admittebat. lib. III. epist. 90.* Adeoq; quasi invitatus cogebatur communicare Anselmo cum sociis suis, id est, cum iis, quos Rex à cujus communionem abstinere non poterat, tanquam hospites ad sacram mensam secum adducebat. Veruntamen nolo hoc extendi ad Heterodidascalos manifestos & declaratos, si maximè princeps hos tecum coadmitti aut nos cum his perinde, atq; cum Principe communicare juberet *communione activâ, id est, liberâ & proæreticâ.*

Exemplum
invitæ com-
munionis cū
indigno.

Notorius est processus, qui servatur ab Electorum in Rom. Imperio Augustanam Confess. amplexorum Legatis, in corona-³¹² tione Romani Imperatoris, & aliis conventibus publicis, ubi officii causâ Imperatori Comites eunt ad Missam. Nempe ut secedant, quamprimum introitus ad Missam cantatur. De quo *Sleidanus lib. VII. Comment. ad Annum MDXXX.* quando Augustana Confessio exhibebatur. Et *Lutheri Consultario* requisita hoc nomine à *Joanne Friderico Duce Electore b.m. Tom. V. Jen. Germ.* Quod in nupera etiâ coronatione moderni Romani Imperatoris, tunc Regis, Saxonicus Legatus Generosus Dn. à *Merssch* pessi habuit: etsi Brandenburgicus Legatus, personæ Principis sui oblitus, suam privati religionem illic ostentandam potius duxerit.

§ XIX.

De alio effectu irritæ correptionis fraternæ, qui est ACTIO INJURIARUM ADVERSUS CORREPTOREM.

Iste quidem effectus purè per accidens est, quandiu fraterna correptio intra terminos à Christo præscriptos persistit, ut de certis³¹³ & exploratis peccatis sive contra puritatem doctrinæ, sive contra honestatem vitæ commissis, vel etiam de signis & indiciis potentia proxima ad peccata talia inclinantibus, eaque proximè committantibus, primò quidem seorsim, deinde, si prior correptio nihil profecerit, adscitis duobus testibus fratrem corripias. Neque Magistratum decet admittere injuriarum actionem adversus illum, qui gradus & circumstantias à Christo præscriptas servavit. Servasse autem præsumitur, si inimicitias cum correpto exercuisse, aut honori ejus invidisse non probatur. Quæ enim communia omnium Christianorum officia sunt, quæque iis nota esse præsumuntur quibus exhibentur; adversus ea non præsumitur; sed Actorem oportebit probare dolum, ubi propter officium Christianis omnibus commune, de dolo aut malitia in se commisso corri-

gentem convenerit. Ut e. gr. si quis proximi asinum aut bovem e puteo extracturus, aut fatiscentem sub sarcina erecturus, crus ei fregerit, aut luxaverit, aut fregisse vel luxasse dicatur; non solum facti speciem, sed etiam dolum sub prætectu officii incumbentis commissum ab Actore probari oportebit. Semper enim præsumitur pro eo, quod ex mandato ordinariè fit, fieri solet & debet. Factum autem præsumitur, quod sciendi mandatum habet, Barthol. in l. qui in aliena §. si qui ff. de acquir. hered. Si præcedit mandatum ut facias, & tu deinde fecisti: præsumitur, quod ex mandato feceris. apud Menoch. de Arbitr. Jud. sent. c. 470. n. 22. Et in dubio benignior & favorabilior sententia sumenda est, c. Estote misericordes de R. I. ubi ex Beda declaratur hæc regula: Hoc loco nihil aliud nobis præcipi, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. In dubio, quod honestius est præsumi debet. Abbas in c. intelleximus. d. adult. apud eundem Menochium cas. 89. n. 22.

314 Si contingat tamen, imponi Correptori juramentum purgationis, quod dolo aut malitia de hoc vel illo peccato proximum non corripuerit, sed sine à Christo præscripto, id est sine lucrandi animam ejus, eamque ab interitu eripiendi; tenetur Magistratui se purgare, ad majorem Dei gloriam, & ut tantò manifestius appareat, se animæ proximi salutem, non vindictam, aut contumeliam proximi, aut finem alium proximo injuriosum quæsisisse.

315 Quod enim suâ naturâ aptum, & à Deo ordinatum est ad salutem proximi magis magisque promovendam, ad id in hoc casu correptionis fraternæ magis teneor ex lege Christi, quam ex lege civili; Et magis ratione objecti, quam ad promovendam corporalem salutem bovis aut asini periclitantis: Sed purgare se ab affectu vitioso & fine malevolo in correptione proximi non intento, suâ naturâ aptum & à Deo ordinatum est, ad salutem proximi promovendâ, ut tantò certius credat & persuaderi sibi patiatur, o infamiâ aut aliud quodvis damnû, sed animæ salutem à corripiente quæsitam fuisse: II. Paralap. VI, 22: Si cui imponitur juramentum, &c. Igitur ad hanc fiduciam de me tantò certius ipsi persuadendam,

te

teneor ad iudicis sententiam illi purgare & declarare animum meum, de sinceritate correptionis, quoad finem intentum.

Hoc probatur à fortiori, h. m. Quia etiam pastoraliter corripientes, & pastorales actus exercentes, ad superioris mandatum tenentur se purgare, & præscribitur formula juramenti, *c. si quis de gradu, &c. Quotiens de purg. Canon.* Quod si correptus peccatum commissum plane neget, & corripientem ad palinodiam ejus, de quo ipsum corripuerat, & deprecationem vel etiam multam aut pœnam sustinendam cogat, eò, quòd corripuit: Coactio quidem tum judicialis ratione meritorum, tum extrajudicialis ratione processus & meritorum erit injusta; Et corripientis, si valde probabiliter præviderit, aut prævidere potuerit hoc incommodum sibi ob officii Christiani administrationem esse nasciturum, potest abstinere à correptione, Ratio, quia is, de quo valde probabiliter præsumit, ipsum sibi hanc molestiam creaturum, præsumitur esse per privatam correptionem incorrigibilis. Nisi enim incorrigibilis esset, officium fraternum non converteret in calumniam.

Si contingat autem corripere v. c. adulterum, homicidam, incestuosum, furem, &c. de peccato occulto, sed certo quoad existentiam, & perspecto corripienti, at, quod testibus probari tamen non possit: correptus autem metu infamiæ aut supplicii sui, si delictum innotescat; injuriarum postulet corripientem; palinodiam, deprecationem, & sive multam, sive pœnam afflictivam corporis exigat; Tenetur corripientis ad iudicis sententiam non tantum sustinere immeritas pœnas, sed palinodiam etiam ac deprecationem, quam contra conscientiam præstare non debet, quovis supplicio redimere. Peccatum enim quale est mendacium, & revocatione dicti aut facti reapse veri committere, nullius mali temporalis vitandi causa licet. I. Pet. III. 15, 16, 17. Cap. IV, 14, 15. &c.

Et quamvis videatur ex regula fraternæ dilectionis, minus malum, quale est infamia Recantationis, tolerandum esse ad aver- tendum majus malum fratris, quod est extremum supplicium corporis, sustinendum propter homicidium aut adulterium commissum,

R r 2

missum,

316
Non autem
revocare,
quod ex veri-
tate reprehē-
dit.

318
Refelluntur
objectiones.

missum, si inhæream affirmationi meæ de delicto per ipsum commissio; Reverâ tamen non teneor tolerare minus malum ejusdem generis, ad avertendum majus malum ejusdem generis (quando videlicet utrumque malum est malum pœnæ temporalis:). sed teneor solum subire minus malum inferioris generis, ad avertendum majus malum superioris generis, quale est æterna pernicietas animæ fratris. *Secundò*, non existit periculum supplicii corporis ad unius testis depositionem, nedum denunciantis: propter legis divinæ interdictum *Num. XXXV, 30: Ad unius testis depositionem nemo moriatur, E.* nec locum hîc habet propositus casus. *Tertiò*: Non licet ullum malum subire ad avertendum malum pœnæ, quando averfio hæc cum malo culpæ conjuncta est. Conjungitur verò averfio supplicii fratris cum malo culpæ, & meæ & fraternæ, quando inficior id esse commissum à fratre, quod commissum est. Mentuntur enim uterque, negando id quod negari non debebat. Et (*quartò*) probabiliter confirmatur ille in peccato, ubi suspitionis etiam vestigiis deletis, securior fuerit factus.

319 Justus autem metus est, & probabilis præsumptio pro incorrigibilitate cujusvis ex proæresi criminaliter peccantis, v. gr. per adulterium, incestum, furtum, homicidium, veneficium, &c. nec privatam correptionem cõtemnat: Ideoqve extra casum extremæ & geminæ necessitatis, i: quando vitæ temporalis & æternæ extremum periculum concurrunt, ut: quando scio incestuosus aut adulteris insidias esse paratas, ut statim confodiantur, quæ ego insidias avertere nõ valeo, ò teneor tales in procinctu atrocis flagitii, extra præses periculũ perdédæ utriusq; vitæ stantes corripere: ne, si ob capitale crimen eũ vel eos corripuero, actione injuriarũ, & consequenter infamiâ me afficiant. In extremo autem necessitatis casu, ubi vita utraqve periclitatur, teneor etiam cum periculo famæ corripere quemcunqve peccantem, & malum superioris generis redimere subitione mali inferioris generis.

320 Ratio diversitatis est: quòd in extremum periculum utriusqve

que vitæ perdendæ delapsus, non præsumitur effugiturus, & consequenter, nec pœnitendi, neque me vexandi tempus habiturus: *Quando metus infamia liberet à debito corripiendi.* Igitur tamen non appareat certò quod sit corrigendus, dummodo tantùm non appareat certo, quod non corrigendus sit; fûgendum est officio correptionis à Christo præscripto. ut supra de Tempore correptionis dixi. At quando taliter peccans non versatur in extremo periculo utriusq; vitæ; tûc meritò præsumitur, & quod emendari possit aliâ ratione, alioque tempore, quàm per meam correptionem; & quod sit vexaturus me actione injuriarum, pœnisq; in injuriantes constitutis, si corripuero eum ob delictum capitale occultum, quod probare judici nequeam. Itaque metus succumbendi actioni injuriarum, est metus justus, & justa causa abstinendi ab executione correptionis fraternæ in casu necessitatis non extremæ.

Tutius ergo est, delicta occulta, quorum commissio totam communitatem obnoxiam facit Nemesei divinæ, ut sodomiam, homicidium, incantationes, &c. & à quibus delinquens per duos primos gradus correptionis fraternæ non præsumitur liberandus, denunciare judici per modum nudæ denunciationis, ut judex inquireat. *Levit. V, 1. Deuter. XII, 2. seqq.*

At ne tamen sub prætextu correptionis fraternæ, vel etiam sub prætextu denunciationis piæ, (videlicet ne communitas ob flagitium inultum obnoxia fiat popularibus plagis) integritas & fama proximi adducantur in suspicionem apud Magistratum, vel etiam privatim lacerentur à personato fratre correptore; teneatur corripiens saltem in foro conscientiæ, ad requisitionem à Magistratu, præstare juramentum calumniæ, sive purgare se à calumnia; ut tantò manifestius appareat, quæsitam esse ab se gloriam Dei in salute proximi. *Levitici XIX, 16: Non eris calumniator, neque stabis contra sanguinem, &c. juncto Ebr. VI, 16: juramentum tollit omnem dubitationem, &c.*

Qua

Quale juramentum erat illud Apostoli: quod capiti *Nono Epistole ad Romanos* præmisit, quum horrendi anathematis sententiam in gentem suam promulgaturus erat, uti jure quoque Canonico sancitum esse paulò ante ostendi.

323 *Excessus correctionis possunt puniri.* Excessus autem corripientis, & violationes regulæ à Christo præscriptæ, sive quoad locum & tempus, quando videlicet frater peccans non inter TE & ipsum solum corripitur, sed in loco publico, audientibus aliis: sive quoad modum corripienti, si nempe verbis injuriosis & contumeliosis corripitur, merito vindicantur, modis per leges publicas constitutis, quum & excessum, *correctionis Pastoralis* legitimè vindicare liceat injuriato.

324 *Eorum probatio.* Et si præsumptiones validiores requirantur adversus Patrem spirituales, cum quoad animum, tum quoad qualitatem injuriæ probandam: quàm adversus proximum quemvis. Quum pater & superior in dubio semper præsumantur animo corrigendi corripere, etiam si verbis acerbioribus corripiant, neque propterea actio in eos permittatur, per leges civiles *l. sed et si ff. ad l. Aquil.*

325 *Diversitas.* Ad formandam autem qualitatem excessuum, multum interest: An corripientis imputet correpto malum & dolosum animum: An factum illicitum: An eventum quasi præfagiat, & præfagiendo exprobrat, qui ignominiosus sit correpto.

226 *Obiectio doli* In imputatione animi dolosi & malitiosi, caute procedendum est, pro diversitate obiectorum & subjectorum. Circa obiecta honestatem publicam violantia, nemo facile de animo doloso & malitioso corripendus est, cum in hoc genere bonitatis quilibet præsumatur bonus, & *ὑπονοαὶ πονηραὶ* sive suspensiones de malo, quemadmodum Chrysostomus adjectivum illud *πονηραὶ* exponit, ex vitio sint, & contra regulam charitatis fraternæ I. Tim. VI, 4. I. Cor. XIII, 7.

327 In imputatione autè doli circa obiecta fidei, quæ solo lumine supernaturali cognoscuntur, distingvendum est inter subjecta. Qui hæresi aut Sectæ non solùm corpore & extrinsecâ professione notoriè adhærent, sed etiam affectu, defensione, encomio: uti Doctores hæreticorū & Zelotæ ac defensores eorum, præsertim inverte-

tera-

terati; de iis semper præsumitur dolus, Sunt enim lupi & fures, qui non vocati veniunt, qui in veste ovilla veniunt: & quoties veniunt, præsumuntur venire animo furandi & jugulandi; docente nos Verbo veritatis, Matt. VII, 16. Joh. X, 1. 5. 8. 9. 10.

Et quanquam ex ignorantia verioris ista nonnunquam au- 328) deant, ut *Saulus furens Act. IX, 1. Tim. I.* non præsumitur tamen; sed qualia sunt signa, & qualia sunt prædicata, talia præsumuntur esse subjecta, ut Beda supra dicebat. *C. Estote misericordes. d. R. J. quæ addit: Admonitionem illam Christi: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: non de dubiis, sed de manifestis dictam esse, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furtum, ebrietates, & similia, de quibus nobis permittitur judicare.* Et Saulus ex ignorantia furens, tanquam fur & latro erat non solum metuendus, sed etiam increpandus, ob facti evidentiam. Quemadmodum Herodes, Pontius Pilatus, & Crucifixores Christi *Latrones* erant, & vocabantur, etsi à Christo ipso & Apostolis testimonium acciperent, hos ex ignorantia hoc fecisse. *Luc. XXIII, 34. Act. II, 23. Cap. III, 14. 15. 17.* Vide quæ supra tradita sunt de modo corripendi hereticos.

In correptione dicti vel facti illiciti, etsi laudatur prudentia 329 circumscribendi & proponendi illud per simile factum individui *objectio facti* alterius, aut vagi: ut *Nathan II. Sam. XII.* Alterque Propheta *Achabum* corripit I. Reg. XX. Atque alii nonnulli, confessionem Reorum singulari artificio elicientes; Nulla tamen injuria est, qualitatem dicti aut facti illiciti nudè & plane exponere, & corripere, ex regula *Christi, Mosis & Siracidis*, Math. XVIII. Levit. XIX. & Sir. XIX. supra prolixius declarata, quæ dum ingenuam & planam correptionem præscribit, ingenuum & planum peccati illius, de quo quis corripendus est, ob oculos positum præscribit.

Quam verò ad correptionem fraternam etiam adhibenda 330 sint argumenta dissvadentia continuationem: aut, si peccatum *Objectio* in proxima potentia ex signis esse præsumitur, argumenta dissvadentia commisionem &c. inter quæ præcipuum locum obtinent, quæ à damnis & scandalis consequentibus sumuntur; fieri *consequen-* propemodum nequit, quin in correptione fraterna adhibeantur *ris.* ar-

argumenta præfigurantia eventum mali commissi aut commit-
tendi, de quo quis corripitur, ejusque effectus tum necessarios tum
probabiles: qui repræsentantur fratri corrigendo, non ut in ani-
mo & intentione ejus consistunt, (omnis enim peccans confidit,
vel sperat saltem, peccatum suum esse & fore leve) sed uti ex
præmissis sequi solent aut possunt, ut: ex ebrietate fornicatio, ex
fornicatione infanticidium, ex infanticidio perjuriū, ex perjuriō
αὐτοχρησία, &c. Prov. XXIII, 32. seqq.

33^l Quorum eventuum præfiguratio ad deterrendum peccato-
rem instituta, cum officio correptionis à Christo mandatae con-
naturalis sit; etiamsi contingat eventus illos non sequi, neque
necessitate consequentis sequi eos oporteat; nullatenus tamen
idoneam causam præbet actioni injuriarum, etiamsi proferatur
verbis non eventum solùm, sed animi quoque intentionem con-
significantibus: quæ consignificatio tamen secundum commu-
nionem loquendi consuetudinem ad solius eventus *ἐκβασις* re-
duci solet. ut *Jerem. XXVII, 10. 15. Threnor. II, 14: Prophetæ tui pro-*
phetarunt Tibi visiones mendacii, ut expellerent TE è regione tua: quæ
certè PseudoProphetarum intentio non erat, sed oppositum po-
tius: uti patet clarissime ex *Jerem. XXVIII, 2. seqq. Sic Ezech. VIII, 6.*
cap. XVI, 26: Colis idola ad irritandum me, ad lōge abigendum me à
sanctuario meo: quum tamen Idololatræ plane contrarium inten-
derent hoc ipso cultu, scil. cultum & conciliationem Dei, ut cla-
rissimè itidem constat ex *Jerem. XLIV, 17. 18. 20. 21. seqq.* ubi con-
stabat inter Jeremiam & Idololatræ de bona intentione concili-
andi sibi Deum hoc cultu: & quasi hanc intentionem suam fa-
cto ipso assequuti essent, gloriabantur Idololatræ ab eventu, quòd
Deus annonæ largitate cultum istum compensasset; quod consilio & nu-
xi maritorum fœminæ exercuissent illum cultum: Jeremias autem v.
20. & 21. negat existentiam illius eventus, ad quem Idololatræ illi
provocabant: Intentionem boni non negabat, & nihilominus
utebatur verbis intentionem mali culpæ & mali pœnæ consigni-
ficantibus, eod. cap. versic. 7: *Et nunc dicit Dominus Deus: Cur tam*
grande malum committitis adversus animas vestras, ut exscindifaciatis

è vo.

Verba even-
tūs sumuntur
pro signis in-
tentionis.

de vobis marem & foeminam, parvulum & sugentem de Juda, & ne quicquam vobis maneat in residuo? In confello autem erat, hoc non intendi ab Idololatriis, sed plane contrarium. Sic Moses Deut. XXIX, 19: Cavete ne succrescat inter vos radix amaritudinis, germinans fel & absinthium: Ne quis audiens verba execrationis hujus dicat secum: Pax mihi erit, etiamsi ambulem secundum obstinationem mentis meae; ut extirpet ebrium cum sitiente. Hoc posterius verò nequaquam intendebatis, qui dicebat: Pax, seu benè mihi erit. Atque infinita sunt ejusmodi, quæ Chrysostomus etiam observavit in expositione illius dicti Christi, Matth. XIII, ut videntes videant, &c.

Et hoc sensu exponendæ sunt invectivæ Doctorum Ecclesiæ in alios sui ordinis, antequam per conciliarem Ecclesiæ sententiam hæretici declarati essent, ut: quando Epiphanius Originem vocat Parentem Arii Epist. LX. ad Joannem Hierosol. inter Epistolas Hieronymi; quem Originem Didymus, Chrysostomus, Ruffinus, aliique orthodoxi pervicacissime defendebant ab impaeto hæreseos crimine. Quando Cyprianus & Firmilianus Stephanum Romanum accusabant, quòd dura ejus obstinatio in tantum prorupisset, ut Marcionitas, Valentinianos, & Apellitas Deum blasphemantes, Dei filios faciat: quòd eorum hæreses contra Ecclesiam vindicet; quòd Amicus hæreticorum, Christianorum inimicus, Sacerdotes Orthodoxos excommunicet. Hæc omnia enim Cyprianus Stephanum Romano impedit, quæ cum tamen communionem fraternam fovebat, Epist. LXXIV. apud Pamelium n. 9. & 10.

Firmilianus autem Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, sequente Epist. LXXV. flagitium haut levius eidem impingit: Quòd universalis Ecclesiæ pacem rumpat; quòd Petrum & Paulum beatos Apostolos infamet. Se justè indignari ad tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quòd, qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur & se successorem Petri contendit, multas alias Petras inducat, quòd Christianæ petrae veritatem obfuscet, & quodammodo aboleat: quòd prodat & deserat unitatem: Quòd, cum Judæi Zelum Dei habere laudentur, Stephanus, qui per successionem Cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos Zelo excitetur: quòd hæreticis non modicam sed ma-

332

Dolus Romano Episcopo Stephano ab extraneis objectus.

333

ximam gratia potestatem concedat: Quod communicet cum ipsis quibus tantum gratia defendat & v̄dicet: Quod frustra dubitet, in ceteris quoque dogmatis consentire hæreticis & particeps esse, ut & simul cum eis conveniat, & orationes pariter cū eis misceat, ac altare & sacrificium commune constituat: Quod ei cetera quoque, quæ apud hæreticos aguntur justa & legitima videantur: Quod Romanam consuetudinem, consuetudini orbis & veritatis vane opponat: Quod Apostoli de fratribus dictum: SIVE PER OCCASIONEM SIVE PER VERITATEM ANNUNCIETUR CHRISTUS, &c. ineptè extendat ad hæreticos: Quod ipsum non pudeat asserere hæreticis facultatem, dandi remissionem peccatorum, &c.

334 His consequentiis Cyprianus & Firmilianus Martyres, Stephani Martyris sententiam de rato hæreticorum baptismo onerabant, præter scopum & intentionem Stephani, & illo quidem sanctissimo seculo, quo Ecclesia omnis sanguine confessorum Christi madebat.

335 Sed Firmilianus, Cypriano animosior, per Apostrophen ad Stephanum institutam, talia quoque ac tanta ei exprobrat, quæ Eugubinus aut Brundusianus Lector hodie vix concoquerent: Quando, inquit, baptismo hæreticorum communicas, quid aliud quam de voragine & cæno illorum bibis, & ipse Ecclesie sanctificatione purgat & alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis iudicium Dei, hæreticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, cum scriptum sit: Falsus testis non erit impunitus. Quin imò Tu hæreticis omnibus peior es! Nam cum inde multi cognito errore suo ad TE veniunt, ut Ecclesie verum lumen accipiant; Tu venientium errores adjuvas, & obscurato lumine Ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulās. Cumque se illi in peccatis esse, ac propterea ad Ecclesiam venire fateantur; Tu eis remissionem peccatorum subtrahis quæ in baptismo datur: Nec intelligis, animas eorum de manu tua exquiri, cum iudicii dies advenerit, qui sitientibus Ecclesie potum negasti, & volentibus venire causa mortis fuisti, & insuper indignaris?

Pergit hanc acerbissimam correptionem: Nec pigebit adjicere, quæ sequuntur in hac parænesi: Vide, quâ imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur? Quis enim

nim

nim justius indignari contra alterum debuit; Utrumne, qui hostes Dei asserit; an verò, qui adversus eum qui hostes Dei asserit, pro Ecclesie veritate contendit? nisi quòd imperitos etiam animosos atq; iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii & sermonis, ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quàm de TE dicat Scriptura divina: Homo animosus parit lites. Lites enim & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? peccatum verò quàm magnum Tibi exaggerasti, quando TE à tot gregibus scidisti? Exscidisti enim Te ipsū: noli TE fallere. Si quidem ille est verè SCHISMATICUS, qui se à communione Ecclesiastica unitatis APOSTATAM fecerit. Dum enim putas, omnes à TE abstinere posse, solum TE ab omnibus abstinuisti.

Nec TE informare ad regulam veritatis & pacis vel Apostoli præcepta potuerunt, monentis & dicentis, &c. Hæc Apostoli mandata & 337
monita salutaria quàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem sen- Sarcasmus in
sus & lenitatem PRIMO IN LOCO servans! Quid enim humiliter Stephanum
aut lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem
cum singulis vario discordia genere rupisse, modo cum Orientalibus, mo-
do vobiscum qui in meridie estis? A quibus Legatos Episcopos patienter
satis & leniter suscepit, ut eos, nec ad sermonem saltem colloquii communis
admitteret? Adhuc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet
fraternitati universæ, ne quis eos in domū suā reciperet, & venientibus
non solum pax & communiō, sed & tectum & hospitium negaretur?
Hoc est servasse unitatem Spiritus in vinculo pacis, abscindere se à chari-
tatis unitate & alienum se per omnia fratribus facere! ET CONTRA
SACRAMENTUM & FIDEM, CONTUMACIS FURORE
DISCORDIÆ REBELLARE! Apud talem potest esse unum corpus
& unus Spiritus, apud quem fortassis IPSA ANIMA UNA NON
EST; Sic lubrica, sic mobilis & incerta? 338

Manifestū est ex vita & moribus Stephani Romani, descri-
ptis ab Eusebio initio libri VII. histor. ab Anastasio Bibliothecario,
& Luidprando, qui Constitutiones à Stephano editas, ex Decreto
Gratiani simul attexuit vitæ hujus Papæ; ex Platina & aliis: fuisse
sanctum virum & qui fidem Christianam Martyrio asseruit; Un-
de facile liquet, plæraqve eorum, de quibus corripitur à Firmilia-
no Cappadoce, non constitisse in animo ejus, sed per consequen-

tiam inde deducta fuisse; & tamen à parte Afrorum servatam irruptè communionem sacrorum cum Stephano & Romanis perdurasse; non obstantibus istis inculpationibus.

Hoc sensu S. *Bernhardus* Petrum Abailardum & Arnoldum de Brixia accusabat, quòd de Trinitate saperent cum Ario, de gratia cum Pelagio, de persona Christi cum Nestorio, Epist. CXCII. Quod ipsi nequaquam fatebantur, neque etiam in animo habebant. Hoc sensu accusabat ipsum Legatum Innocentii Pontificis, Gvidonem de Castello, discipulum Abailardi, & postea Pontificem Cælestiniæ II. hujus nominis, ad quem scripta est hæc Epist. quòd Legatus suggillet Papæ sui sententiam; quod contradicat Domino Papæ, quòd faveat heresi Abailardi; quia damnatum hominem in comitatu tamen suo retinebat. Epist. CXCVI.

339
Imputatio
per consequē-
tias non dat
causam acti-
oni injuria-
rum.

Hæ & similes consequentiæ ducuntur ex natura rei, & habitudine præmissarum ad consequens; Et hoc dicitur colligi ex intentione heterodoxi, etiam si heterodoxus per verba intentionem significantia id factus non fuerit. Harum itaque consequentiarum in correptione fraterna præfiguratio, nequaquam est justa causa intentandi corripiēti actionem injuriarum *exl. diffamari*: quia per communem stylum Ecclesiasticis Scriptoribus usitatum non fit animo injuriandi nec diffamandi, sed corrigendi & emendandi à malo; aliosque, quorum interest monendi, ut sibi caveant: Quemadmodum, si (exempli causa) lætitiæ, triumpho, honoris publici, aut recreationis gratiæ explodantur bombardæ majores, aut transitus militum alicubi fiat; sine injuriâ explodentium & transeuntium monentur vicini, ut caveant & sibi & habitationibus, & jumentis ac fortunis suis à damno; tametsi neque explodentes neque transeuntes in animo habeant dare damnum. Ratio est, quia ipsa instrumenta, apta nata sunt, ut damnum tale soleant inferre.

340
Omnis injuria ex affectu & proposito malo æstimanda est, non solum quoad quantitatem suam, sed etiam quoad formam intrinsecam & qualitatem suam, an sit injuria? *h. illud relatum 3. S. lanè i. § l. seq. ff. de injur.* Wesenbec. in parat. ad b. l. n. 8. Nō prælu-

mi-

mitur autem affectus & propositum malum, ubi ex mandato superioris corripitur frater; & adhibentur talia media, quæ apta nata sunt ad affectum adæquatam producendum, qui est lucratio animæ; & quibus mediis ad hunc effectum producendum Magister præcipiens & prævius, aliiqve in hac arte Magistri usi sunt. Neque tenetur hinc probare corripuens animum suum, velut indubio, corripuendi an calumniandi animo fecerit? quoad intra terminos privatae correptionis manet. De quo cognoscit Judex, an manserit? ut paulò ante dixi.

Atque hæc ita se habent, si originem legis de corripuendo proximo penitus introspiciamus, & in quavis correptione, quæ etiam à privatis ex sola regula charitatis Christianæ fit, vel inter confortes ejusdem religionis procedit. Enim verò illis, qui non ex charitate sola communi inter Domesticos ejusdem fidei, sed etiam ex justitia & officio corripuunt tum heterodidas, tum scandalos moribus, amplior potestas & facultas data est, non solum incommoda & damna ex heterodidascalia & scandalis secutura ob oculosponendi, sed ex indiciis etiam de animo judicandi, animum taxandi, reprehendendi, castigandi, solo emendandi fine. Quia his ex officio incumbit providere, (1) ne universa Resp. Christiana, pro cuius salute quisq; partem sollicitudinis gerit, ut supra Cyprianus dicebat, detrimentum patiat; Ad quam sollicitudinem ille magis tenetur, tanquam pars capitis in homogeneo, quam tenentur Laici, ad homogeneas quidem partes integri corporis pertinentes, sed ad partes ignobiliore.

Generalis obligatio fundatur in illo, I. Cor. XII, 26: *Quum patitur unum membrum, simul omnia condolent, &c.* Specialis obligatio singulorum membrorum ad partem sollicitudinis pro Toto homogeneo gerendam, fundatur ibid. versic. seq. 27: *Vos collective sumpti estis corpus Christi, & membra eius, &c.* sigillatim, particulatim: nec non v. 24, 25: *Deus sic contemperavit corpus, ne schisma sit in corpore, sed ut eodem fine pro invicem sollicita sint membra.* Personalis obligatio eorum, qui Doctorum officia gerunt, versic. seqq. 28, attextitur.

341¹
Præsertim si
à Doctoribus
& Pastoribus
fit.

342²

Ss 35

Etc

Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, quarto potestates, postea dona sanationum, opitulationes, gubernationes, &c. His singulis competere partem sollicitudinis, patet ex protasi, quæ agit de sollicitudine singulorum membrorum pro incolumitate universi. His singulis tribui diversos gradus honoris & existimationis; patet ex comparatione nobiliorum & ignobiliorum, honoratiorum & minus honoratorum membrorum inter se, v. 22. 23. His singulis competere etiam distinctam latitudinem jurisdictionis & gubernationis, patet ex collatione directorii Capituli attributæ, cum parendi onere pedibus incumbente, versic. 20. 21. Et singulis tamen adscribitur pars sollicitudinis pro incolumitate totius aggregati; sed verò illis major portio sollicitudinis, quæ locum & naturam capitis & oculorum sustinent, quàm iis, quæ locum & naturam manuum & pedum repræsentant.

343 Atque ita tenentur ad correptionem fraternam, pro incolumitate totius aggregati suscipiendam, & pro singulorum membrorum salute conservanda, singuli Christiani; at majorem potestatem in dirigendo & corrigendo habent hi, qui de capitis & oculorum officiis participant, quàm qui de officiis membrorum ignobiliorum. Pastores autem & Doctores Ecclesiarum pertinere ad membra repræsentantia caput & oculos Ecclesiæ, nemo vocabit in dubium. Quemadmodum ergo (v. gr) caput majori cum autoritate potest & solet gubernare pedes, quàm pes unus alterum; majorem etiam sollicitudinem gerit pro pedibus, quàm pes & stomachus pro capite; Ita Pastores & Dd. quibus cura conservandi puritatem doctrinæ publicæ commissa est, habent majorem potestatem in membra etiam similia totius homogenei, quàm habent membra statûs & conditionis in hac quidem Sphæra inferioris: Et consequenter ratione loci ac officii quod gerunt in corpore, etiam in Doctores aliena diæceseos possunt ac debent uti strictiore & severiore correptione, atque de plebe quisquam alius.

344
Et in causa violatæ fidei.

Accedit, ut supra dixi, obligatio ex delicti qualitate & periculo, quando Midianitæ catum fidei meæ commissum, conragione
Ido.

Idololatriæ per exemplorum illicia, per literas & libellos pollunt; ut publico iudicio hoc vindicare in illis possim & debeam, quod privato non licebat, Num. XXV, 17. 18. Quod à fortiore valet, pro vindictâ faciendâ *per arma spiritualia II. Cor. X, 4. 5.* in simili casu læsionis moralis.

Quamquam igitur aliàs jure Cæsareo ita constitutum sit, ut proferens verbum *ex vulgi consuetudine & opinione contumeliosum*, probare teneatur, *se non convicii consilio aliquid injuriosum dixisse, ac tum demùm fides veri à calumnia ipsum defendat*, ut habet *Lex Diocletiani. si non conviciis C. de Injur.* In Doctore tamen publico, etiamsi non suum diœcesanum, sed etiam extraneum corripit, excipiendum est objectum, de quo corripit, & modus quo corripit. Si extraneum corripit *ob heterodidascaiam*, privato verbo aut scripto; corripit id, quod etiã populari actione poterat accusare: adeoque nulla injuria committitur ratione objecti, quando ex officio illud corripere tenetur: Neque ratione modi generici, sive, quòd privatim corripit, quum admonitio sit præmittenda hæreticorum devitationi Tit. III, 10. Ea; non restringatur à loco publico ad privatum locum quasi tantum privatim oporteat heterodidascaium corripere. Neque ratione modi specifici, sive, quòd corripit verbis incommoda & damna per rei naturam ex Heterodidagmate secutura præfigurantibus, etiamsi hæc damna infament eum qui dat: Ut quando v. c. Apostolus docet I. Cor. XV, Eos, qui in communione externa *cum sanctis & electis Corinthiis* vivebāt, & dicebant *in Resurrectionem jam esse factam*, & fieri quotidie per corruptionem & generationem hominum; *Eos, inquam, introducere Epicureismum, Atheismū, & pantoletbriam totius religionis. versic. 13. 14. 17. 33. Edamus, bibamus, ludamus, quia nullam erit judicium, &c.* Hæc nulla erat injuria, tametsi vel Demas vel Hymeneus vel quisquam alius frena momordisset. Stylus curiæ Prophetiæ, Apostolicæ & Priscæ Ecclesiæ ita fert, Sicuti num. 330. & seq. *& part. 1. n. 67. 156. seq.* ostēdi, Cōferri possunt B. Lutheri Scripta Eléctica in Henricū Regē Angliæ, Georgiū Ducē Saxonix, Albertum Archiepis, Mogunt. & Magdeburg. Henricum Ducem Brunsvic.

345
Respondetur
ad textus juris civilis.

Brunsvic. Zvvinglium, Carolstadium, Johannem Islebium, Lovanienfes, Colonienses, Sorbonistas, Papam denique ipsum, ejusq; Assentatores, Sylvestrum Prieratem, Wimpinam, Hogoftratum, Eccium, Emserum & innumeros alios.

346

Sic: Quando ostenditur; Quòd ex doctrina Pontificiorum de *adoratione religiosa*, etfi respectivâ *Imaginum*; De *qualitate & indemnitate peccatorum venialium*; De *sufficiencia attritionis virtualis, ad absolutionem à reatu peccati consequendam*; De *vicariis satisfactionibus & meritis hominum pro hominibus*; De *obligatione semel tantum in anno, & quidem solo Paschatis tempore pœnitendi*; De *sufficiencia fidei implicitæ, sensu Pontificio sic sumptæ, ad salutem consequendam*; Quòd ex doctrina de *incertitudine relativa gratiæ presentis apud Deum*, aliisque, sequantur respectivè *Epicureismus, Atheismus, ignorantia Dei, securitas vel desperatio*; Quòd *aboleatur tota fides Christiana, destruaturs fundamentum fidei, &c.* nulla injuria est. Nulla omninò injuria est, quando ostenditur ex attributis Antichristi, *Romanum Episcopum esse Antichristum*, etiamsi proprii effectus Antichristi, *citra dolum & mendacia exerceri non possint*. Quando item assertitur: *Communione cum omnibus Sectis, ratihabentibus solum Symbolum Apostolicum juxta popularem & nativum sensum literæ, & licentiam affirmandi vel negandi reliqua scripturarum dogmata, per Symboli illius literam non expressa*, introducere Epicureismus & Atheismus; nulla est injuria, quando cunqve hæc consequentia deducitur à Doctore Ecclesiæ, veritatis defendendæ causa, loco & tempore competentibus.

347

Ergo non debent nec possunt tales consequentiæ in Doctore publico publicè, & velut per actionem popularem palàm eas proponente, vindicari tanquam injuria, etiamsi in extraneum jurisdictioni suæ non subjectum ista dixisset. Quia non solum sequuntur hæc consecutaria ex præmissis istis, quicquid præmissarum assertor intendat vel non attendat; Sed, quod præcipuum est, tenetur quivis Doctor pro circumstantia temporum & personarum, ut ex officio moneat tum suos, tum universam Ecclesiam de hisce incommodis, manantibus & manaturis ex illis præmissis.

Ve.

Veruntamen, si quis absolutè citra allegationem præmissarum, Assertorem præmissorum dogmatum, velit appellare Atheum, sive pro sermone familiari, sive extra officii rationem & exercitium extra loci competentiam, &c. ei impingere hoc nomen, non vacaret culpâ. Circumstantiæ loci, temporis, occasionis, ponderandæ sunt, atq; ex his judicandum de affectione animi: Namque in injuriis qualificandis non solum sonus verborum, sed etiam locus, tempus, gestus & habitus corporis, aliaque male affecti animi signa attendenda sunt, secundum tradita per *Dn. Berlich. Conclus. p. 5. n. 32 seqq.*, *Dn. Carpz. Defin. forens. p. 4. c. 42.* Aut si quis crimina ipsa, quibus quisquam dogmatizando directam vel obliquam occasionem dat, danti objiciat, tanquam ipso externo facto ab illo commissa, ut v. gr. Tu, *Martine de Magistris doces, simplicem fornicationem non esse peccatum: Ergo fornicarius es ipso facto proprio: Aut; fornicarius es Martine;* procul dubio injuriarum tenebitur.

348
Distinguitur

Aut, si quis quæcumque crimen, quod naturæ lumine constat esse crimen, cuiquam non subdito, verbo vel scripto, extra limites correptionis fraternæ, id est secretæ & privatæ, objecerit, & de emendando tali crimine ipsum pariter non monuerit; dubio procul injuriarum tenebitur. V. gr. Si quis privatus, *Platonem*, extra limites privatæ admonitionis, vocitasset *seductorem, & corruptorum publicæ honestatis*, eò, quòd *communione uxorum docuit & scriptione defendit*, injuriarum teneretur. Si quis autem Doctorum, vel Judicum, voce vel scripto publico, ad monendam quamcunvis communitatem à cavenda communione uxorum, *Platonem* vocitasset *seductorem & corruptorem publicæ honestatis*, non teneretur injuriarum; quia præsumitur ex officio monuisse omnes quorum interest, de vitanda hac turpitudine, ex lumine naturæ tali, & quam Plato, ex poena divinitus immisâ, negavit esse turpem, quum per naturam potuisset agnoscere, turpitudinem hanc durationi societatis civilis pariter & conjugalis adversari. Rom. I, 24. seqq.

Multò minus igitur tenebitur injuriarum, qui ex officio Doctoris publici, & servatis insuper regulis privatæ correptionis, *Ampliatur.*

T t

nec

nec non ex charitatis officio, vocabulis, non habitum personalem, aut intentionem animi, sed eventum denotantibus, heterodidascalum corripuit de criminibus sequuturis ex talibus præmissis, quarum præmissarum veritas aut falsitas citra lumen supernaturale discerni non potest. Qvalia sunt plæraq; crimina, quæ ex hypothesebus Pontificiorum supra commemoratis, de *Idololatria indirecta*, de *indēnitate peccatorum*, quæ venialia vocant, de *efficacia aquæ lustralis* ad expiationem horum, &c. consequuntur, ut Dogmatistâ illorum citra omnem injuriam appellare possim seductorem plebis. Etsi per naturæ lumē ille agnoscere nequeat, quòd seducat plebem, neque in animo habeat seducendi populum, seductione sibi cognitâ, seu quâ tali. Atque hoc sensu sæpe vocitantur *Ariani*, *Nestoriani*, *Sociniani*, qui formaliter tales non sunt, sed *materialiter*, id est conveniunt cum Arianis, Nestorianis, Socinianis in illis principiis, quæ ad formâ & differentiam specificam illorum hæreticorum ab Orthodoxis pertinent.

351 Fatigarunt se in enotanda hæc difficultate *Giesbertus* & *Paulus Votii*, pater & filius, Professores in Acad. Ultrajectina ad Leicum, injuriarum postulati à *Renato des Cartes* & *Samuele Marcfio*, & ad plebeja tribunalia pertracti; scriptis idioma Batavo ante hoc decennium, editis de reatu objecti mutuuum *Atheismi*, *Scepticismi*, *Libertinismi*, *Idololatriæ indirectæ*, occasionis data *Hispâis* per initionem *Fraternitatis Marianæ cum Pontificiis*, ut *insidias* struere possint *moderno statui Batavico*; aliisque consuetariis moralibus, quæ *Votii*, pater & filius, derivaverant ex *Renati* & *Samuelis* libris. Unde nata est *Giesberto* Disputatio IX. de *Atheismo*, volum I. Disp. select. quam vide fol. 179. seqq.

352 De verbis ex *communi sensu* & *usu vulgi injuriosis*, quæ Pastores, aliiq; superiores in suos auditores & subditos nonnunquam jaciunt; quò ad fraternam sed ad pastoraalem correptionem spectet, super sedeo multis hîc anquirere. Hoc tamen affirmare ò possum: Si fortè Pastor in solis verbis Elenchi moralis erga subditos excedat, servatis de cætero gradibus admonitionum, loco & tempore congruis: debere cogi ad publicam palinodiam ob solum excessum

cessum

cessum in verbis loco & tempore competente prolati. Nisi etiam Pater naturalis, quem tamē jura Cæsarea ab actione injuriarum absolvunt, ad palinodiam cogi debet. Merito tamen corripitur à superioribus suis. De quo supra n. 59. seqq.

Multò minus adigi poterit ad palinodiam ob Elenchum vel ³⁵³ Epanorthosin individui unius vel alterius, si existunt illa crimina, & vera sunt, à quibus Pastor etiam publice unū vel plures denominat & flagellat. Deinde, si post adhibitos gradus admonitionum illud facit. Non magis inquam injuriarum conveniri poterit, quā *Ob elenchum personale nemo ad Palinodiam cogendus, si gradus servavit.* *Jesaias*, qui Principes & cives suos vocat *fures & socios furum* Jes. I. Frivolum enim est, Epanorthoses hæc nominales & personales *ad facta heroica* restringere, & communi Pastorum officio elenctico in Theoricis, epanorthotico in moralibus vitiis, hanc facultatem derogare. Quum nimis apertum & manifestum sit Apostoli præceptum I. Tim. V: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timeant*, & exempla de nomine tenus correptis, & nomine tenus excommunicatis nimis sunt luculenta. Legantur Chrysostomi invectivæ in *Gainam*, in *Eutropium*, ejusq; Commentarii in illud: *argue ἀποτόμως*, Tit. I, 13. *Homil. III. & in II. Cor. XIII, 10: Ne utar potestate mea ἀποτόμως. Homil. XXVIII in Mat.* Ubi adverbium hoc est solum de excommunicatione, sive præcisione à cætu, sed de præcedanea quoq; distinctâ & nominali correptione singulorum exponit: Idq; exemplis Nathanis nomine tenus corripientis Davidem, Eliæ nomine tenus Achabum, Jeremiæ & Johannis Baptistæ, publicè & de nomine castigantium Jechoniam, Sallum, Zedekiam, & Herodem Reges demonstrat.

Nec dubito, Hoseam Prophetam cap. IV, 4. perstringere etiam eos, qui Pastores suos actione conveniebant injuriarum apud Judicem, quod sive nimis acerbè, sive nimis specificè correpti essent, quum ait: *Vitiis quidem blasphemie, furti, adulterii, &c. obnoxii sunt: At nemo vult corripì, nemo reprehendi sed populus iste est tanquā accusantes, sive litigantes cum Sacerdote.* LXX. verbum *דבר* quando de populi repugnantia dicitur, verterunt per *δυναστεύω*: nemo vult ultionem pati: Quando vero de Sacerdotibus à plebe accusatis usurpatur, vertunt per *ἀντιλέγειν*, significat n. frequenter ulcisci, τὸ δικά- ³⁵⁴

νόζεν. Judic. VI, 31. Pf. XXXV, 1. Pf. XLIII, 1. Pf. LXXII, 23. Jer. XV, 10. Thren. III, 57. Hieron. Theodoretus & Lutherus in Comment. de vindicta judiciali, non extrajudiciali eorum, de quibus quisquam pro concione correptus est, exponunt.

355 Accedit manifesta ratio à majori: Si n. Pastor aliquando potest & debet procedere ad publicam excommunicationem personarum singularium, multò magis potest & debet aliquando procedere ad publicam denominationem personarum excommunicandarum; quia hæc publica inclamatio, est quasi ultimus gradus ad excommunicationem personæ illius singularis, quæ cum privatas tum publicas correctiones flocci fecit & contempsit.

356 Suffragantur jura Cæsarea tum in communi, tum in singulari. In communi, quando ajunt: *Eidem veri defendere eum à calumnia, qui probare potest, se non convitii consilio dixisse aliquid injuriosum l. 5. C. de Injuriis.* Potest a. probare se non convitii consilio dixisse, qui *mandatum divinum* habet publicè peccantes publicè arguendi, ut *reliqui timeant, & reos pudeat*, ut ostendi supra n. 313. seqq.

357 Deinde, si condemnandus non est, qui revelavit in judicio si-
ve extra judicium illud crimen proximi, cujus interest Reip. ut reveletur, per leg. *Eum qui nocentem infamavit. ff. de injuriis*, additâ ratione: *quia oportet & expedit peccata nocentium nota esse*; Pastores a. solùm ea vicia in personis singularibus publicè flagellent, & quidem post frustra adhibitos gradus privatos & publicos, quæ vel atrocitate suâ totam communitatem anathemati divino objiciunt, vel exempli contagio alios inficiunt; liquet, interesse Reip. ut non solum vitia ista, sed & Autores refellentur. Et consequenter ad palinodiam saltem condemnandi non sunt, quia lex dicit: *Non esse bonum æquum, eam ob rem condemnari.*

358 Suffragantur etiam tertio in singulari: Si tutor (aut alius opifex) puero discenti, ingenuo, filio familias, parum benefacienti quod Magister demonstraverat, formâ calcei cervicem percussit, ut oculus puero eluscareretur: ex lege quidem Aquilia, de damno potest conveniri; injuriarum a. actione non potest; quia non injuriæ faciendæ causâ, sed monendi & docendi id fecisse præsumitur, ut est in l. 5. §. Si Magister ff. ad l. Aquiliam; Quæ lex iisdem prope verbis repetitur l. Item quaritur 13. §. Item

Julian. ff. de locato Cond. Quantò minus Magister animarum poterit conveniri, actione contumeliæ? Ad summum poterat conveniri æstimatione damni, quia *contumeliam non præsumitur intulisse, cui alia corripiendi causa succurrit.* ut lex ait.

Quartò: Si senioribus sanguine propinquis tributa est potestas ³⁵⁹ corrigendi minores pro qualitate delicti, *per extensionem auctoritatis patriæ in eos,* uti Valentinianus & Valens Imppp. decreverunt *l. Un. Cod. de emendatione propinquorum:* Manifesti a. juris sit, *Patres familias ob convicia in filios dicta injuriarum conveniri ab illis non posse,* nedum ad palinodiam cogi; profectò non video, cur patribus animarum minor debeat reverentia, quum Apostolus ad *Ebr. XII. majorem reverentiam jubeat haberi his,* quàm illis; ut mox ostendam.

Quinto & cum primis succurrit Pastoribus ex officio corripientibus ³⁶⁰ *scandalosos subditos Canon Anteri Papæ, qui altero à Christo seculo vixit. n. q. 3. Absit, ut quicquam sinistre de his arbitremur, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt: per quos Nos etiam Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes ante judicii diem judicant.* Occasio statuendi nascebatur ex vitio *detractionis,* ut videre licet ex contextu *Epistolæ ap. Binium in vita Anteri T. I. Concil. fol. 93: Caveat unusquisque, ne aut ipse aliis detrahat, aut alios audiat detrahentes. Parcant singuli detractiōni linguæ, custodiantque sermones suos. Non est humilitatis meæ neque mensuræ judicare de cæteris, & de ministris Ecclesiarum sinistram quicquam dicere, &c.* Hæc quidem leguntur in *Epistolis Hieronymi ad Nepotianum & Heliodorum.* Unde *Magdeburgenses, David Blondellus, & Binus ipse judicant, Epistolam non esse Anteri; Canones tamen sunt juris Canonici, neque lege recentiore, nec consuetudine abrogati.*

Neque voluit aut potuit huic præcepto, *nomine tenus & publicè castigandi contemptores priorum & privatarum dehortationum, derogare* ³⁶¹ *Constitutio Electoralis Saxonica: Artic. general. 3. § ad object. è zum siebenden.* Bis n. claris verbis principium proximū impellens ad elenchum personalem, cui illic interdicitur, determinatur, quòd non liceat *aus eigenen Affecten.* Et postea manifesta re-

strictio interdicti additur: Das solches allein auff die ärgerliche
 Predigten gemeynet/da die Pfarrer aus Zorn und eigener Nachgier
 ihre eigene Sachen auff die Canzel tragen; suos privatorum adver-
 sarios nominibus exprimunt, aut à notis propriis ita circumscri-
 bunt, ut individuum vel individua omnibus innotescant.

62 Cum a. exceptio & limitatio firment regulam in casibus non exc-
 ptis: claret ex hac ipsa constitutione, quod elenchus etiam nomi-
 nalis, post irritos priores gradus, si ex Zelo justitiæ & salutis audi-
 torum fit, per has ipsas Constitutiones potius approbetur: quum
 præsertim in eodem §. jubeantur Pastores non solum castigare
 vitia, sed etiam vitiosos ex Ezech. 3. idq; non solum in forma cõ-
 munitatis, aut sub individuo vago, sed etiam in individuo singu-
 lari, si opus sit, sicuti textus originalis, ex Ezech. III, 17. 18. 19. seqq.
 illic allegatus, objectum castigandum describit, non solum per mo-
 dum communitatis in plurali, sed etiam per modum singulorum
 individuorum in singulari. Quod Apostoli in Novo Testamen-
 to vocant *corripere* ἐκκαταστήσειν, unum & singulos ἑκάστον: Act. XX, 31
 Quod verbum ἑκάστον de hæreticorum correptione usurpatur
 Tit. II, 11. Sic Coloss. I, 28. I. Thessal. II, 11. &c. *Corripere singulos*: A-
 lexandrum fabrum, incestuosum Corinthium, Hymenæum, Phile-
 tum, Demam, Phygellum, Hermogenem, &c. Quemadmodum Chry-
 sostomus in publicis parænesibus ad populum, Non solum Gainam,
 Eutropium, Stiliconem, sed Eudoxiam quoq; Augustam nominibus ex-
 pressit; Hilarius, Lucifer Calaritanus, Athanasius, Constantium Im-
 peratorem publicè Tyrannum & Antichristum proclamaverunt,
 ut supra quoque ostendi.

363 Et Quemadmodum Serenissimus Elector Saxonie in processu
 Judic. Tit. XLII. quando per universale signum personarum actio-
 ni injuriæ obnoxiarum, *Wer der auch were / der freventlicher /
 vorseßlicher und unthwilliger weise den andern Man, oder Weibs-
 person an Ehren schmähen / lästern / schänden und injuriren / und der-
 halben recheltich beklagt würde / &c. decernit: hunc & hos omnes
 teneri ad respondendum in judicio & satisfaciendum per palino-
 diam, &c. nequaquam voluit supponere; quod injuriæ illatio a-
 ctiva, pervicax, proæretica, & petulans, ex dolo malo & hostili*
 pro-

proposito cadat etiam in patresfamilias adversus suos filios, sed potius per limitationem qualitatis, & adjectionem horum prædicatorum, *freventlicher/vorseßlicher und muthwilliger Weise*/voluit hos eximere, in quos de jure communi non cadit præsumptio talis injuriæ, ex allegata *l. sed etsi s. ad l. Aquil. l. item qværitur 13. §. l. Æ Julianus ff. locat*; Ita per signa illa universalialia, circumscripta certis qualitatibus, nequaquam voluit supponere: quod Patres spirituales in ratione officii versâtes fiant obnoxii tali injuriæ activæ; quum hi non minus gaudeant præsumptione regularis officii, & spiritualis quidem; quàm illi gaudent præsumptione præstiti officii naturalis.

Hæc enim præsumptio de exercitio disciplinæ pastoralis & paterne à Pastoribus animarum intento & suscepto, validius fundatur in præcepto divino, quàm ulla præsumptio de animo Patrisfamilias in jure divino, naturali aut civili usquam extat. Quin potius infert jus divinum à minori ad majus hoc modo: si de patribusfamilias præsumitur, quod animo corrigendi corripiant, multò magis & longè æquius hoc præsumi de patribus animarum. Verba Apostoli sic habent *Ebr. XII, 9. 10: Si patres carnales habemus castigatores, & reveremur eos, Annon potius obsecundabimus Patri spirituali & c.* ubi de reverentia castigatorum erga castigantes sermo est, *versiculis anteced. 5. 6. 7. & consequ. 11. 12. 13.* ut cuius pater. Iterum *II. Cor. V, 11. 13: Scientes timendum esse Deum, svasionibus homines tractamus: sive a. excedimus, sive moderatè agimus, Deo id facimus, qui hoc officium nobis commisit, & c.* Latinorum Interpretum, Græca ignorantium, nudæ conjecturæ hic non sunt attendendæ. Chrysost. *Metu tribunalis divini à scandalis cavemus; sive a. magnum quid proloquamur, hoc n. mentis excessum vocat, sive humile aliquid ac demissum, vestri gratiâ hoc facimus, ut modestè ac summissè de vobis sentire discatis.* Hanc expositionem Oecumenius & Theophylactus itidem Græci, in commentarios suos transcripserunt. B. Luthero, Erasmo, Stapulensem, & Cajetanum; *Excessum*, de quo loquitur Apostolus non solum restringit ad excessum gloriationis de præstantia Apostolatus sui, sed etiam ad severitatem increpationum, quibus opponitur *τὸ πείθειν ἀνθρώπους, & τὸ σωφρονεῖν: svasiter persuade*

364

*Præsumptio
de animo pater-
no Pasto-
ris nititur
expresso jure
divino.*

dere hominibus, & modeste cum illis agere. Unde patet, quod oppositum, nempe *acerbis sermonibus & verbis excedere*, æquè adscribatur paterno & divino Zelo Pastorum, atq; modestia adscribitur animo salutis auditorum cupido. Quem sensum etiam *Batavi* in versione sua, *Vinarienses*, *Phil. Mel. Hunnius & Balduinus* in Commentariis sequuntur. *Confer II. Cor. X. v. 1. 2. 3. seq. 10. 11. 12. seqq.* ubi facultas strictioris & remissioris disciplinæ expresse confertur Pastoribus animarum & *cap. XII, 20 21. cap. XIII, 1. 2 3.* ubi repetit Apostolus quod dixerat: *presumendum esse de se, sive rigorosius, sive remissius agat, quod in omnibus collineet ad salutem subditorum.*

365 Fundatur hæc præsumptio de animo emendandi in Patre spirituali, & præceptum de toleranda etiam injuriosâ quasi castigatione in illa determinatione divinæ Majestatis, quæ extat Num. XII, 14. 15. quando Moses intercedebat pro veloci restitutione & Receptione leprosæ sororis suæ in cætum publicum: Deus a. denegabat festinam illam Receptionem, similitudine ductâ à naturali debito erubescendi, etiam si Pater naturalis correptione ignominiosâ affecisset filiam: *Si pater ejus (inquit) exspuisset in faciem ejus, annon septem diebus ad minimum pudere eam oportebat? Multo magis igitur nunc eam pudeat septem diebus, postea admittatur iterum in cætum.* Unde argumentor: Quæ Correptio non potest vindicari per actionem injuriarum in Patre naturali, ea multo minus potest vindicari per actionem istam in patre spirituali: Correptio tam ignominiosa, quàm est exspuitio in faciem filiafamilias, non potest vindicari in patre naturali per istam actionem: Ergo Correptio tam ignominiosa, quàm est Exspuitio in faciem filiafamilias, multo minus potest vindicari per actionem injuriarum in Patre spirituali. Si a. actione istâ non potest vindicari, multo minus poterit vindicari effectu illius Actionis, qui est Palinodia. Nec n. paterfamilias, qui exspuit in faciem filiafamilias, palinodiam canet, si filiam vocitavit scortillum.

366 Atque his de causis etiam juris Saxonici Interpretes de officio Elenctico Pastorum statuunt, quod etsi convitio quicquam analogum protulisse de cathedra videantur, animus emendandi tamen pro loci & temporis ejus ratione præsumatur, neque de palino-

lino-

linodia Pastor facilè sit sollicitadus. Dn. Berl. p. 5. Concl. 60. n. 8. Dn. Carpz. Jurisp. Consist. l. 3. def. 99. n. 6, 7. & latè, sed à minori ad majus.

Didacus Covarruvias Tom 2. Variar. Resolut. l. 1. cap. XI. de injuria ³⁶⁷
 quæ verbis fit, & maximè de eâ, quæ veri criminis objectione irrogatur n. 5. 6. 7
 ubi de præsumptione animi injuriandi, etiam inter æquales & privatos
 crimina sibi exprobrantes, agit: *Æquo animo accerrimo q̄, judicio perpenden-*
dam esse, ait, quomodo præsumptiones & conjecturæ de animo injuriandi deducã-
tur? Veri criminis & Reip. perniciosi objectionem tunc demùm ex injurioso ani-
mo procedere, quando absq̄ illa causâ, utilitateve ipsius negotii quod tractatur,
in judicio vel extra judicium contigerit. Quando verò eadem objectio vel expro-
bratio ex justâ causa facta fuerit, æquisimum esse ut præsumatur, nō animo inju-
riandi sed eâ ex causâ contigisse. Et hoc ait docuisse Oldradum, Joannem Andr.
Abbatem, Concilia Romana, Ripam, Martinum Navarrum & alios.

Nec obstat, quod etiam Nobiles injuriarum possint conveniri ab infe- ³⁶⁸
 rioribus, & ad palinodiam cogi, Eos n. alia exceptio liberare nequit, nisi *Diluitur ob-*
 exceptio dignitatis nativæ, aut status: quam postetiorem cum animarum *ctio à pari*
 Pastoribus saltem communem habent; si non inferiorem. At exceptio di- *pari sumpt*
 gnitatis habitualis, non liberat Pastores ab actione iniuriarum; Sed exce-
 ptio habitus per actum officii hîc & nunc exerciti. Quemadm. Doctores a-
 lios, atq; & jam iudices minus offendit injuria, quæ ipsis infertur intuitu
 dignitatis personalis, quæ est sine cura: quàm ea, quæ infertur iis ratione digni-
 tatis curatæ, sive intuitu & ratione officii, per ea quæ tradit Menochius de Arbitr.
 Jud. sent. Casu 263. n. 19. 20. seqq.

Ergo conveniri quidem potest Pastor injuriarum, at non propterea,
 quod quæquam nominatenus castigavit pro cōcione, sed propterea, quod ³⁶⁹
 contra juris ordinem eum castigavit, sive de delicto non omnino certo, sive
 non publico & notorio, sive citra præmissos gradus admonitionum, sive
 de delicto in se Pastorem commisso, in cujus correptione laborat præsum-
 ptione affectuū inordinatorum.

Extra hos casus, si post irritas admonitiones privatas, & publicas indefi- ³⁷⁰
 nitè propositas, ex Zelo justitiæ universalis, etiam nominatenus castiget re-
 fractarios; non habet Electorales Constitutiones sibi refragantes, quæ e-
 lenchum & epanorthosin nominalem & personalem solum in hoc casu
 interdiciunt, quando aus eigenen Affecten & Nachgier ad illū provolatur.
 Confer. Consil. Theol. Dedekenns Vol. 1. parte 3. Sect. I. membro 3. n. 22. 23. seqq.

371
io à Dis-
trato.

Postremo multum differunt: *posse conveniri injuriarum: Et, posse cogi ad palinodiam.* Non omnis n. injuria, neq; in omnib; personis vindicatur hac specie pœnæ; sed in arbitrio judicis positum est, quâ specie pœnæ, pro qualitate & quantitate injuriæ, pro qualitate injuriantis & injuriati, offensam conveniat puniri. Quod uti in privatis etiam personis observatum æquum est: Ita multo magis in iis, qui loco & vice Dei, qui ex mandato Dei, qui tantâ cum obtestatione Dei, qui metu contagii, metu reatus in totam communitatem devolvendi, metu deniq; æternorum cruciatuum in se recipiendorum si sileant, peccatores notorios nominatim castigant, si maxime in modo & ordine castigandi peccassent.

372
incongruo

Si enim judici providendum est, ne privatorum quisquâ, proximo honoris læsum aut sollicitatum, majore suâ cum ignominia restituere cogatur, atq; ea fuit, quam exprobrando aut solum revelando intulit; profecto quâ maxime providendum est, ne Legatis Dei in causa salutis agentibus, si in modo exequendi excessisse contingat, restitutio honoris & famæ auditoribus facienda majore cum sua ignominia imponatur, atq; ea fuit, quæ auditorum cuiquâ illata est. Imponitur a. majore cum ignominia Pastoris, quando palinodia publica ei imponitur, quàm fuit ignominia auditoris; ideo, quia propter notabilem excessum passionum in objectante, hæc vel illa crimina uni vel pluribus auditorum raro creduntur esse vera, quæ per iracundiam objectantur: Adeoq; existimatio ejus cui objiciuntur, apud plebem minus læditur, quàm Pastoris, qui sciens prudens ex judicis sententia seipsum mendacii accusavit & mentitum se esse professus est. Excessus affectuum in objiciente, derogat objecto vitio probabilitatem.

373
b iniquo, si
vis ob hære-
s exprobra-
onem cogatur
ad palinodiam.

Accedit, quod infamatus ob hæresin, ut hæresis est, vel ob propagationem hæreseos, quum nesciret se propagare hæresin, si palinodiam canat aut recantet, propterea non infamatur infamia juris, quia obnoxius fuit factus vitio, quod per naturæ lumen vitare non potuit: At, si Parochus ob præsumptum injuriandi animum, ad Palinodiam cogatur, utiq; incurrit juris infamiam, eò quod injuriandi animus per naturæ vires possit & debeat evitari; adeoq; cogitur restituere honorem ei quæ læsit, majore suâ cum ignominia, quàm fuit ignominia illata læso, quem nominetens hæreseos infimulaverat. At verò, ut supra ostendi, non potest nec debet præsumi injuriandi animus de illo Parocho, qui vitium infectivum & contagiosum, cujus interest Reip. ut reveletur, etiam in individuo cui inest, cavendum notat, etiâ si in modo revelandi excedat. Disli-

Dissimulatur n. tantisper, quod obligatio ad gradus ex Matth. XVIII. 374
præmittendos, solo jure positivo humano extendatur etiam ad Parochos,
ex officio corripientes publica vitia, sive morum sive doctrinæ: Non præ-
scribit ille locus pastorali correptioni istos gradus, ut vulgo creditur.

Succurrit alia ratio à discrimine loci, in quo quis corripitur sumpta: 375
quod discrimen etiã inter pares observandum esse docet Covarruvias d. cap. De correptione
XI. de injuria verbali, n. 7. Unde à fortiori sequitur, observandum tantò ma-
gis esse inter inferiores, & superiores qui illos ex officio arguunt, & in modo
arguendi tantum excedunt. Palàm est, inquit, *facilius animũ injuriã in se-
sumitur dolg-
rendi, extra judicium, quam in judicio præsumi, ex veri criminis aut vitii obje-
one, cujus revelatio utilis vel Reip. vel proximo. Nempe: quia is, qui vitium ali-
quia fit in lo-
quod Reip. noxiũ in judicii loco revelat, potius præsumitur id revelasse presenti
co judicii.
Reip. quàm qui extra judicium illud revelat. Ubi n. Resp. magis representatur, il-
lic utilius & propius ad noticiam ejus deferri censetur, quod deferendum est, quàm
et extra judicium, ubi Resp. non representatur.*

Sextò, inquit, juris est apertissimi: Hujusmodi revelationem extra judicium 376
fieri posse absq; injuriarum crimine ejusq; punitione. Vel ob ipsius criminis
REPTIONEM, vel ob Reip. aut proximi necessitatem utilitatemvè: Ex his n. à minori.
constat, ANINUM INJURIANDI ABESSE.

Addit cautionem, quæ Pastoribus præcipuè observanda est, ad consci- 377
entiam illæsam servandam, nec non iudicibus in foro conscientie pro-
nunciantibus: *Cautè tamen agendum est, inquit, ut tutò & sine peccato fieri
possit. Nec n. sequitur: Actioni injuriarum locus non est, igitur nec detectio crimi-
nis peccatum habet. Siquidem crimen occultum, etiamsi probari possit, non est
detegendum saltem extra judicium apud eos, penes quos delinquens infamatus
non est, si damnum Reip. vel proximi aliter, quam ex revelatione evitari queat.
Cum ob solam utilitatem Reip. vel proximi permissum non sit, alterius famam ve-
ri criminis revelatione ladi. Nam & hæc inconsulta detectio criminis peccatum
est, ex quo tenetur quis famam alterius restituere, secundum Thomam & Cajeta-
num 2. 2. q. 62 art. 2. SED CAVENDUM est, ne ita alteri famam restituat, ut se
MENDACEM ESSE profiteatur. Ex iisdem & Majore in 4. sent. dist. 15 q. 16.
Colum. 4. Et tamen hoc casu injuriarum actio non datur.*

Liquet mens Covarruvie: Etsi in foro exteriori sola utilitas vel etiam 378
necessitas Reip. aut proximi liberet revelantem etiã occultum crimen, Exponitur
modoq; illicito, & infami autoribus criminis, ab injuriarũ actione, non li-
Covarruvias
V u 2 be-

berari tamen istum Buccinatorem in foro conscientiae sive interiore ab obligatione restituendi proximo famam illegitimè ablatam, Sed cavendum, ne hæc restitutio fiat per publicam palinodiam. Quum n. ne injuriarum quidem actio competat adversus eum, quæ Reip. aut proximi utilitas liberant, multò minò competere palinodiæ cantationem in talem, quia palinodiæ Cantatio gravior est, quàm sola injuriarum actio.

379 Septimo, inquit, apparet: Eum, qui verum alterius crimen ei exprobraverit, ex justa causa, prava tamen intentione, ab actione injuriarum liberum non esse, imò graviter peccare, LICET ad famæ restitutionem minimè iste teneatur, cum ea non oriatur ex vitiosa causa, ut scribit Adrianus Quodlibeto II. litera R. cui eleganter accedit Mart. Azpilcueta (Navarrus) in c. inter verba 1. in q. 3. Coroll. 70. Sensus itidem apertus, quòd is, qui justam quidem causam detegendi criminis prætexere potest, concurrente tamen animo ægrè faciendi & infamandi autorem quicquam exprobraverit, non ab actione quidem injuriarum liberetur, liberetur tamen à debito restituendi per palinodiam, quia non omnis compensatio injuriæ illatæ fiat per palinodiam.

380 Octavo, inquit, mihi probabile videtur, & id maximè utile ad Regiarum Constitutionum interpretationem: Non esse à judice cogendum palinodiam canere, sed mentitum fuisse coram viris honestis asserere eum, qui alteri extra judicium, pravo animo, in rixa, manifestâ injuriarum inferendi intentione convicium dixerit, illi objiciens verum crimen, CUJUS MANIFESTATIO UTILIS EST REIP. Quod probatur ex his, quæ proximâ sextâ illatione annotavimus. Quâ ratione idem esse censeo, si quis alteri verum exprobrat vitium, quod manifestû fieri NIHIL utilitati publicæ conduxerit: licet extra ordinè is utroq; casu à judice puniendus sit injuriarum sanè actione, juxta Bartoli & sequacium resolutionem.

381 Præmiserat a. Covarruvias, Bartoli, Cyni, aliorumq; observationem de discrimine inter vitia, quorum intersu Reip. ut revelentur, & eorum quorum non intersit Reip. in 2. & 6. Istius generis esse ait:

Si quis alteri objecerit, Leprosum, Sodomitam, hereticum, falsarium, spurium, latronem, furem, homicidam, meretricem, Lenonem &c. esse. Posterioris generis: si quis alteri objecerit: Cornutum, filium meretricis, lenonis, &c. esse. Et Bartolum quidem cen fuisse ait, quòd objectio criminum prioris generis debeat esse impunita; criminum posterioris generis a, exprobratio puniri debeat arbitrariâ judicum sententiâ.

Ab hac Bartoli sententiâ tantisper abit Covarruvias, ut vitiorum prio-

is generis exprobrationem, sive in iudicio sive extra iudicium factam, actione quidem injuriam puniri posse statuat, *palinodiâ a. non posse decerni: etiamsi manifestâ intentione inferendi injuriam exprobrata fuerint, sive judicialiter, sive extrajudicialiter.*

Quantum ad nostrum institutum pertinet, palam est ex his: *Bartolum, 383 Cynum, Covarruviam* id nunquam passuros fuisse, ut exigeretur à Parocho & concionatore palinodia, etiamsi unâ cum justa causa exprobrandi auditori uni vel pluribus nominatim vitium aliquod contagiosum, etiam prava intétione eû corripuisset: quû à nullo terræ filio palinodiam in hoc casu jure exigì posse statuerint.

Et hoc modo, inferendo scil. à minori ad majus, pro Clericis absolutè à palinodia ob quâmcunq; injuriam alteri illatâ liberandis, processit *Prosper Farinacius Tom. III, de variis & diversis Crim. Q. CV. n. 74. & 75.* quum ait: *Immunitatem ab onere restituendi honorem proximo per palinodiam, indubitâter procedere in his duobus casibus. (1) Quando illata injuria fuit vera. Tunc n. absurdum esse dicere, quod ille qui verum dixit, faciat se mentientem & mendacem. (2) in Clerico, qui adstringi non possit ad hanc honorabilem Emendam, (quâ honor proximo restituitur per Retractionem; utilis Emenda dicitur, quando restituitur per multam)*

Et ita usu & in practica receptum esse, probat Testimonio Lopezii, reprehendentis Diazium, qui legem Hispaniarum, indefinitè omnes injuriantes adstringentem ad palinodiam, ad Clericos quoq; extendendam contendeat, ideo, quòd qui omnes dicit, neminem exclusisse videatur. Hoc refellunt Farinacius & Lopez, limitando satisfactionem Clerici, ad obligationem petendi veniam ab injuriato. Uti præcipitur in C. Clericus maledicus dist. XLVI. Salema non a. quod teneatur se retractare, & dicere se fuisse mentitum.

Nobis a. sermo est non de quibusvis Clericis, sed de Pastore pro Cathedra docente; Neq; de quibusvis conviciis ubivis prolatis, sed de solis convitiis, aut potiù còvicio analogis verbis in ipso actu officii eléctici, sive pro cathedra, sive in privata admonitione ex professo suscepti fortè elapsis; quòd palinodiæ impositio in his nō habeat locum. De convitiis extra figurâ, statû & præsumptionem officii pastoralis proximo factis non agimus: Resi & horum coërcitio, quoad modum, spectet ad arbitrarias judicij pœnas. Quum ex confessione juris interpretum; palinodiæ pœna nec de jure civili, nec de jure Canonico imposita reperiatur. Hoc n. omnes supponunt. ap. Farinacium d. l. n. 73. & Gloss. in Can. Clerico jaciente 37. & C. Quivero Dist. L.

384

Farinacius.

385

Castigat Diazium, qui ex indefinita faciebat univer

Salema

386

387 *Concludā Paciani Barcinonensis Episcopi, Theodosio Magno Imperante de-*
Pacia functi sententiā, excerptā *ex paranesi ejus de pœnitentiā, de cujus autoritate Bellar. nihil*
nus. dubitandū esse putat, quæ extat *Tom. IV. Biblioth. PP. f. 245: Ut canū, inquit, solet tūc*
maximè foetere cū moves; & incendiū maximè ardere, si versas; & rabies tunc maxi-
mè exire si corrigas. Ita illi objurgationis necessariae stimulos contrario calce fregerūt, nō
sine suo malo & vulnere repugnantes. Nā dictū à Domino est: Argue stultū & odio TE
habebit, Argue sapientē & diliget TE, Prov. IX. Cui ad stipulatur illud Sirachidis,
XX, 22: Quasi compedes in pedibus est stulto doctrina: Et quasi vincula manuum super
manū dextrā. Quid n. atrocissimæ injuriæ magis affine, quàm veluti per plagiū
 388 *ligatos & numellis impactos velle libertati suæ subducere homines ingenuos &*
liberos? At viro juxta cor Dei cor erat aliud, congratulans nempe sibi, sanctisq;
suspiriis anhelans ad correptionē Ps. CXXI, 14. 15: Ne inclines cor meū in verba ma-
litie, ad excusandas excusationes in peccatis, (sic Vulgata Lat. versio habet, Ebræa
habent: ad machinandū machinationes impias) cū hominibus operantibus iniquitatē:
Augu & ne communicē cū deliciis eorū; Quin potius corripiat me justus in misericordiā, & in-
stinus crepet me. Quod Chaldaus de correptione pastoralī explicuit h. m. Et increpet me
Sacerdos, ungens me oleo unctiōnis sanctuarii. In quæ verba Augustinus Ep. CXLVII.
Proculeiano Episcopo Partis Donatianæ scribens, & Evodium Coepiscopū suū
allegato hoc Davidis voto excusans, quòd in Colloquio cū Proculejano acerbiq;
hunc reprehendisset, sic commentatur: Neq; hoc in eā partē peto accipias, quasi
ego Te à fratre Evodio tanquā à JUSTO emendatū intelligi velim; Vereor n. ne me
quog; aliquid contumeliose in TE dicere existimes, quod vehementer caveo quantum
possum; sed justus est ille qui dixit, Ego sum veritas. Itaq; de cujuslibet hominis ore no-
bis verum cū aliqua asperitate sonuerit, non ab illo homine qui fortè peccator est, sed ab
ipsa veritate, h. e. à Christo qui JUSTUS est emendamur; Ne nostrū caput blāda sed per-
niciose adulationis unctio, h. e. oleū peccatoris impingvet. Quāquā etiā, si frater Evodius
aliquanto pro suæ cōmunionis defensione TURBATOR, aliquid elatius cōmotiore a-
nimo dixisset, etati hominis, & necessitatis causā TE oporteret ignoscere.

389 *Gregorius a. Nazianzenus ad patris sui Episcopi severitatē hæc verba accōmodans*
Orat. XIX. Billio XXVIII. inter παραδοξώτατα hoc refert, quòd, cū Nazianz.
Senior aliis rotas & flagra saepe minatus fuerit, aliis vestes atq; calceamēta detrabi, e-
osq; in humū prosterni jusserit; omnib. tn. ipse solus inter ceteros objurgatores amoris &
admirationi fuerit. νικῶντ & χρεῖς τὴν θεομότην, vincēte cōitate acrimoniā sive
estū objurgationis. (quædā exēplaria legūt: νικῶντ & χρεῖς, vincēte Christo; sed
χρεῖς ὀτης & θεομότης opponūtur.) Nā profectò (ait) à viro iusto castigari præstat, quā
ungi ab improbo. Istiq; n. asperitas etiā ipsa propter utilitatē sua vis est: Hujus a. benigni-
tas propter τὸ κακὸν θεῶν, i: ob pravam istam assentandi consuetudinem,
meritò suspecta est.

Princeps pacis dirigat pedes nostros in viam pacis!

II. Diss. A 182 unsc 19